



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XXXI. De Excessibus Prælatorum & Subditorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

fuscepti essent, contra prohibitionem sub excommunicatione ab Episcopo præmissam, furtivè ordinatum tanquam excommunicatum in nullo Ordine ministrare posse, ex dictis *Tit. 27. n. 5.*, constat: sed irregularitatis: quam ejusmodi Ordinum susceptione contrahi, asserunt Panormit. in *c. Cùm H. n. 2.* & Navarrus *Manual. n. 241.* quòd Ordinem suscipiat ligatus censurâ. Negant autem Covarruvias in *c. Almap. 1. §. In. 6.* & Suarez de *Censur. disp. 31. §. 1. n. 57.* quòd eam contrahi ullo Jure non sit expressum. Mihi non in congruè adhiberi distinctio videtur. Et casu quidem, quò non examinatus vel approbatus ordinandis dolosè se ingerendo, contra prohibitionem factam sub excommunicatione Ordinem suscipit, irregularitatem quoad susceptionem Ordinis superioris incurri, censo cum Laiman *Lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 3. n. 1.* Bonacina *disp. 7. de Irregularit. q. 3. p. 4. n. 6.* Barbosa in *c. cit. n. 5.* & aliis, qui id colligunt ex *c. 1. cit.* ex cuius decisione, tali prohibitione insuper habita, furtivè ordinatus in diaconum ad altiorem Ordinem nequit promoveri: qui est præcipuus effectus irregularitatis, teste Covarruvia in *Element. Si furiosus pr. n. 1.* Cæteris autem modis furtivè ordinatum

vg. cum minoribus subdiaconatum, aut duos sacros Ordines sine dispensatione simul recipiendo, suspensionem tantum incurere, cum Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 17. n. 1.* desumo ex *c. Cùm H. §. c. fin. cit.* quo textu utroque tales ministrare prohibentur in susceptis, quâ prohibitionem suspensionem significari, ad hanc Rubr. observat Pirrhing *n. 3.*

Sicut de penis, sic de istarum relaxatione discurrendum, & adhibenda distinctio est; vel enim Ordo furtivè susceptus est, non præmissâ prohibitionem sub excommunicatione, vel talis prohibitio est præmissa? Si prius, cum Ordinato, si in seculo maneat, Episcopus: si Religionem ingrediatur, etiam Abbas dispensare valet, *c. 1. §. c. Cùm H. cit.* Si posterius, cum eo Religionem ingresso ibidemque aliquamdiu laudabiliter conversato, ut in susceptis ministrare & ad superiores Ordines promoveri valeat, dispensari ab Episcopo potest, *cc. cit.* Si verò in seculo maneat, dispensationem Papæ soli competere, perspicuum est ex *c. 1. §. c. fin. cit.* nisi delictum esset occultum; hoc enim casu dispensandi facultas etiam Episcopo competeret, ex concessione S. Synodi Trident. *Sess. 24. cap. 6. de Ref.*



## TITVLVS XXXI.

### De Excessibus Prælatorum & Subditorum.

**H**actenus declaratis clericis communibus succedunt excessus à Prælati in subditos, & ab his in istos soliti committi: quorum quibusdam ad superiores Libros jam explicatis, ad hanc Rubricam

alios summatim attingemus, eisque subditorum textuum occasione agemus de Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum Unionem Edificationemque Monasteriorum: hisque impostam Clausuræ legem istiusque temerè violatæ penas adjiciemus.

ARTICU.

ARTICULUS I.  
De Eorum Excessibus  
generatim.

## SUMMARIUM.

1. *Episcopi in subditos & exemptos :*
2. *Prælati inferiores in Episcopos ,*
3. *Et in hos subditi variè delinquant.*
4. *Ecclesia Parochialis Episcopi auctoritate mutari potest in Collegiatam.*

1. **E** piscopi itaque hisque superiores Episcopalis Ordinis Prælati in inferiores sibi subjectos, & multò magis in exemptos delinquant, cum eos indebitis oneribus & exactiõibus gravant: cum eos vexant censuris, aliisque pœnis indebitè inflictis, aut viliter & inhonestè tractant, ut aliis, etiam laicis, despiciantur sint, c. 1. cum eorum jura, immunitates & jurisdictionem privilegiò vel consuetudine legitime præscriptâ competentem diminuunt, tolluntque, aut eripiunt Ecclesias ipsis subjectas, c. *Adhæc* 2. cum ipsis aliquid præcipiunt aut interdicitur contra tenorem privilegiorum Apostolicorum, c. *Sandè* 5. cc. *Nimis* 16. & 17. & *Clement. II. nic.* quibus textibus sat multi excessus & gravamina, Monasteriis & Regularibus, præsertim FF. Prædicatoribus ac Minoribus illata, summamim referuntur.

2. Prælati, Episcopis inferiores, excedunt, cum Ecclesias sibi subjectas uniunt propriâ auctoritate, c. *Sicut unire* 8. cum sibi vendicant concessionem Indulgentiarum, publicarum penitentiarum impositionem & cognitionem causarum Matrimonialium, c. *Accedentibus* 12. & Trident. *Sess. 24. cap. 20. §. Adhæc,*

de Reformat. nisi habeant territorium proprium ab Episcopali separatum, in cujus clerum ac populum exercent jurisdictionem quasi Episcopalem, Fagnanus in c. *Accedentibus cit. n. 39.* vel privilegiò Apostolicò, legitime præscriptâ consuetudine, aut Episcopali concessione sint muniti.

Subditi demum delinquant, cum ab Episcopo indictas festivitates, censuras & interdicta ab ipsis promulgata non observant, c. *fin.* & Trident. *Sess. 25. cap. 12. de Regular.* cum contra datam fidem & Fidelitatis atque Obedientiæ juramenta, eum dominum suum esse, negant: cum in causis spiritualibus & Ecclesiasticis eum trahunt ad judicium Seculare, ejusque adversarios consiliò vel auxiliò juvant, c. *Gravem* 15. ubi Archidiaconus hujusmodi excessus convictus beneficiis Ecclesiasticis justus est privari: cum in beneficiis, quæ obtinent, sibi mutant causam possessionis, sicut contingeret, si Vicarius sibi arrogaret personam & titulum Rectoris principalis: quod contra fidem & juramentum præstitum præsumens tanquam perjurus & infamis ab officii sui executione est removendus, c. *Illud* 6. cum plures clerici sine consensu Prælati sibi faciunt & usurpant commune sigillum, c. *Dilecta* 14. quia, licet ejusdem Ecclesiæ beneficiati sint, non tamen constituunt unum Corpus sive Collegium aut Capitulum: nisi in limine fundationis Ecclesiæ, vel postea, collegii & communis sigilli jus Apostolicâ vel saltem Episcopali auctoritate sit acquisitum, vel legitime præscriptum, ut in c. *cit.* notant Panormit. n. 1. & Barbofa n. 3. Unde

Dubium oritur, cujus auctoritate erigi valeat Ecclesia Collegiata, vel in hanc mutari Parochialis. Et Apostolicâ quidem id fieri posse, omnino exploratum est, propter competentem ipsi de illis disponenti

ponendi generalem ac liberam potestatem, *c. Licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. 1. in fine, ut lite pend.* Episcopali autem autoritate erectionem ac mutationem illam fieri posse, negat Fufar. *de Visit. Lib. 2. cap. 1. n. 1.* Verius tamen alii cum Ant. de Butrio *in c. Quoniam 9. de Vita & honest. Panormit. in c. cit. 2. n. 2. & Joan. Andr. n. 3.* concedunt partim *arg. c. cit. & c. Nobis 25. de Jure Patron. partim;* quod Papæ specialiter adstruatur erectio Ecclesiarum Cathedralium ac Metropolitanarum, *e. 1. de Translat. Episc. c. 1. Ne Sede vac. &c.* Unde aliud obtinere in Ecclesiis inferioribus, & collegiatis Episcopali quoque autoritate erigi posse, videtur Garciae *p. 12. de Benef. cap. 5. n. 4.*

## ARTICULUS II.

## De Ecclesiarum &amp; Beneficiorum Ecclesiasticorum Unione.

## SUMMARIUM.

5. Unione ex duobus beneficiis creari tertium novum:
6. Unum alteri accessorie,
7. Aut æquè principaliter conjungi potest.
8. Untri dus Cathedralis solâ Apostolicâ:
9. Inferiores Ecclesia ac beneficia etiam Episcopali autoritate possunt:
10. Nisi ea exempta sint vel perpetuò reservata.
11. Simpliciter reservatorum unio Episcopo serè est permessa.
12. Beneficia unire aliquando possunt Prelati inferiores,
13. Sede vacante Capitulum, Vicarius vi mandati specialis.

14. Et Sedis Apostolicæ à latere Legati.
15. Ad unionem faciendam requiritur justa causa,
16. Citatio eorum, quorum interest,
17. Consensus Capituli quomodocunque præstitus,
18. Et aliquando expressio annui valoris beneficii.
19. Unire Episcopi nequeunt beneficia diœcesium diversarum,
20. Parochialia Monasteriis, præbendis Cathedralibus &c.
21. Regularia iisdem præbendis,
22. Et Parochialia libera patronatibus.
23. Uniendi potestas à Tridentino partim restricta, partim aucta est.

**E** Numeratis aliisque Subditorum & Prælatorum etiam inferiorum excessibus, licet immorari non lubeat, subjicere tamen juvat in praxi utilem explicationem duorum textuum notatu digniorum *c. Sicut unire 8. & c. Unici in 6.* Priori refertur celebre rescriptum Celestini III. Spectans Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum Unionem, quæ tribus modis fieri potest. Primò quidem, ex duobus beneficiis unum novum, & à priori utroque distinctum, *vg. ex duobus Episcopatus vel Parochiis extinctis unum novum erigendò, c. Decimas 49. §. Quid autem 16. q. 1. cujusmodi unione erecta Ecclesia vel beneficium novum retinet jura & privilegia compatibilia utriusque, & ex incompatibilibus meliora & favorabiliora, Tholosan. de Benef. cap. 20. n. 15. Gonzalez in Reg. 8. gloss. 5. §. 7. n. 28. & Garciae de Benef. p. 12. de Benef. cap. 2. n. 10.* Secundò accessorie, duarum Ecclesiarum vel beneficiorum unum alteri, profectus dotis seu patrimonii augmento subjiciendò, etque incorporandò: sicut

attentata est in casu *e. Sicut cit.* cujusmodi unionis effectus est extinctio & suppressio nominis ac tituli Ecclesiæ vel beneficii uniti; ut beneficium dici amplius non possit, & propterea nunquam vacet ipsum, sed id tantum, cui unitum est: & cum isto ipsum quoque collatum censetur, Felinus in *e. In nostra 32. de Rescript. n. 30. cit.* Gonzalez n. 27. & 33. & Garcias n. 12.

7. Tertiò, æquè principaliter sive ita; ut utrumque nomen & titulum retineat & utriusque juribus ac bonis non communicatis, naturæque & qualitatibus non mutatis, unus tantum Rector præficiatur utrique, sicut factum in casu *e. 1. Ne se de vac. Glossa in can. Et temporis 50. V. Unire 16. q. 1. Gonzalez cit. §. 7. n. 112. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 66. n. 48.* Hòc præmissò

Monasteria aliàsque Ecclesias, tam Seculares quàm Regulares, à Prælati eas obtinentibus viâ unionis aliis subjici non posse, Cælestini III. decisio est *e. Sicut unire cit.* quòd propterea unio Monasterii à Priore, etiam cum consensu Metropolitanitani, sed propriò Episcopò inconsultò, facta irritatur, ex ratione generali;

8. quòd, sicut Episcopatus unire ad summum Pontificem pertinet, *can. Et temporis cit. can. Postquam, 16. q. 1. & can. fin. junctò §. Hostilitatis, 25. q. 2.* sic Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum non exemptorum suæ diocesis unio, jure communi spectatò, post Papam sit solius Episcopi sive Ordinarii diocelani, *can. Unio 10. q. 3. can. Plures 56. & §. Jus ergo q. 1. cit. e. Eam te 4. de Etat. & qualit. e. Exposuisti 33. de Præb. & dignit. Clement. 2. de Reb. Eccles. alien. Clement. 1. §. fin. de Statu Monach. &c. Non exemptorum, inquam, jure communi.*

10. Prius; quia Episcopus unire nequit

Ecclesias & beneficia à sua jurisdictione exempta: uti & beneficia perpetuò reservata, ut sunt dignitates primæ post Pontificalem in Cathedralibus, & in Collegiatis Ecclesiis principales, Azor p. 2. *Instit. Lib. 6. cap. 28. q. 6.* Palao *Tract. 13. disp. 6. p. 12. §. 2. n. 1.* & Fagnanus in *e. Sicut cit. n. 3.* quibus aliqui DD. addunt cætera reservata. Sed in his locus est distinctio inter modos reservationis; licet enim ea, quorum non collatio duntaxat, sed quævis alia dispositio Papæ reservata est, uniri ab Episcopo non possint: uniri tamen ab eo valent beneficia, quorum collatio reservata est simpliciter; dummodo unio non fiat in præjudicium possessoris beneficii, vel hoc autoritate Apostolicâ non expectetur: sed unio effectum primùm habeat, postquam beneficium per obitum, privationem vel resignationem vacârît, Panormit. in *Sicut cit. n. 7.* Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 29. n. 150.* & Barbosa *alleg. cit. n. 7.* eam reddens rationem; quòd, cum hujusmodi reservatio solam collationem tangat, neque ipsa per unionem, neque ista per reservationem impediatur; quia beneficium eodem tempore collatum sine unionis, & unitum sine collationis præjudicio esse potest. Quod vel maximè procedit post decretum Tridentini *Sess. 24. cap. 5. de Reformat.* quia istò ea Episcoporum potestas non solum confirmata, sed aucta est; ut beneficiorum etiam reservatorum uniones, secundum formam tamen Juris, facere valeant, tanquam Sedis Apostolicæ delegati. Unde, licet ipsis ad beneficiorum perpetuas uniones hodièque necessarius sit consensus Capituli, ut paulò post statuetur; quòd hunc præscribat Jus, *Clement. 2. de Reb. Eccles. alien.* ab ipsis tamen, ea unientibus jure delegatò, ad solum Papam, non etiam ad Archiepiscopum valet appellari, *e. Super*

- c. Super questionum 27. §. Porro, de Offic. deleg. cit. Sanchez cap. 29. à n. 181. & Barbosa alleg. 72. n. 23.*
12. Posterior; quia speciali jure v.g. privilegio Apostolico vel quadragenaria cum titulo, vel hoc deficiente, immemoriali prescriptione, Ecclesiarum & beneficiorum unio praelatis inferioribus competere potest, Gloſſa in *Clement. 1. cit. §. ſin. V. Ordinarios* & in *c. Sicut cit. Panorm. n. 3. & Barbosa n. 7. quibuscum Fagnanus in c. cit. n. 17. eandem potestatem respectu Ecclesiarum & beneficiorum, ſibi plenissimo jure ſubjectorum, merito adtribuit Prælati inferioribus, obtinentibus jurisdictionem quasi Episcopalem; quod unio, cum ab Episcopo ſolum confirmato fieri queat, actus sit jurisdictionis Episcopalis, ejusmodi Prælato competentis.*
13. Dubium est de Capitulo sede Episcopali vacante, de Vicario generali & ſedis Apostolica Legatis. Et Capitulo quidem beneficia uniendi potestatem jam tribui *Lib. 3. Tit. 9. n. 34.* Episcopi autem Vicario eam passim negant DD. conſeſti à *Barbosa cit. alleg. 66. n. 10.* propter arduitatem negotii, exigentis mandatum speciale: cujusmodi ſive ſpeciali commissione Apostolica ſecluſa, eâ potestate etiam legatos Miſſos, ſeu Nuncios Apostolicos carere, *arg. c. 1. de Offic. Legati in 6. docent cit. Sanchez cap. 29. n. 158, & Garcias cap. 2. n. 66.*
14. Non majorem potestatem quoad uniones Legatis à latere competere, cum Hoſtienſi in *c. ſin. de Confirmat. ſuſ. n. 1. & Joan. Andr. in c. cit. n. 2.* docet *Frid. de Senis Conſil. 195.* cum; quod jure communi, *c. Sicut cit.* ſoli Episcopo permitti & ab ejusmodi legato facta reprobari videatur. *c. ſin. cit.* tum verò; quod beneficia uniendo deroget juri Episcopali, quoad eorum, utpote ipſa u-

nione ſuppreſſorum & extinctorum, collationem. Sed melius uniendi potestatem ejusmodi legato competere, cum Panormit. in *c. Sicut cit. n. 5.* Decio *ibid. à n. 19.* defendunt *citt. Azor cap. 28. q. 8. Sanchez cap. 29. n. 158. Garcias cap. 2. n. 65. Riccius Decif. 383. n. 2. & cit. Barbosa alleg. 66. n. 12.* Ratio est; quia Legati à latere ſunt Ordinarii provincie ſibi demandate, in eaque cum Episcopo concurrentem potestatem habent, etiam (ſaltem extra Germaniam, juxta dicta *Lib. 1. tit. 30. n. 24.*) quoad collationem beneficiorum, *c. 1. in ſine, de Offic. Legati in 6. & c. Si à ſede 31.* junctâ Gloſſa *V. Legato, de Præbend. & dignit. in 6.*

Neque adverſantur in contrarium allegati textus; quia priori Episcopi nomine venit, qui præditus est jurisdictione Episcopali; cum unio competat Episcopo confirmato, nondum consecrato, ut cum Socino in *c. Sicut cit. art. 3. à n. 53.* notat *citt. Sanchez n. 147.* poſteriori autem non improbat unio vel collatio facta à legato: ſed; quod clerici beneficiati ex collatione ab eo ſibi facta prætenderent exemptionem à Patriarcha, itaque iſtus jura diminuerentur, ut conſtat ex ipſo textu.

Neque etiam ratio; quia, Eccleſiis vel beneficiis duobus per unionem conjunctis in unum, nullum jus Episcopale perit; cum utriusque providere etiam poſt unionem poſſit, ut in ſimili notat *Palao cit. p. 2. §. 2. n. 12.*

Porro ad Eccleſiæ vel beneficii Eccleſiaſtici unionem ab habente potestatem faciendam requiritur Primò juſta cauſa evidentis utilitatis vel neceſſitatis; quod v.g. Eccleſia vel beneficium, cui unio faciendâ eſt, non habeat redditus ad miniſtrum alendum ſufficientes, vel ob eorum tenuitatem, qui ei deſervire ve-

lunt, mi-

sint, ministri idonei non facile reperiantur, c. *Exposuisti* 33. de *Præb. & dignit.* vel unione alicui Ecclesiæ vel collegio factâ augeatur divinus cultus, vel publicum bonum promoveatur, c. *Ex parte* 12. de *Constitut.* & Trident. *Sess.* 14. *cap.* 19. de *Reformat.* De tali autem causa ut legitime constet, unioni præmittenda est ejus cognitio, arg. *Clement. 2. de Reb. Eccles. alien.* aded, ut à Papa etiam sine prævia causæ cognitione in partibus factæ uniones revocentur, secundum *Reg. 21. Cancell. de Unionibus*, Sanchez *cit. cap.* 29. n. 162. & *Pitrhing Lib. 3. tit. 5. n. 210.*

16. Secundò, ad unionem requiritur citatio eorum, quorum notabiliter interest, scilicet collatoris, patroni, Abbatis vel alterius Prælati, cui beneficium subest; ut, si quid contra unionem habeat, opponere valeat, *Clement. cit. & Trident. Sess. 24. cap. 15. de Reformat.* Socius in c. *Sicut cit. art. 4. q. 5. n. 62. & cit. Sanchez n. 163.* eorum etiam consensum, aliis DD. allegatis, ad unionem meritò requirens à n. 163, cum propter textus c. *Pastoralis 7. de Donat. & c. Suggestum 20. pr. de Jure Patronat.* tum verò; quòd per hanc eis notabiliter præjudicetur; cum beneficium conferendi vel ad id clericum præsentandi jus, quòd possident, extinguatur. Rectorem tamen, sive possessorem beneficium non necessaribò vocandum, patet ex *Clement. cit.* quòd, eòdè unio, durante ejus vita, effectum habitura non sit, eà ipsi non præjudicetur. Multò minus vocanda est plebs; quia nihil, quòd unionem justè impediatur, allegatura præsumitur: licet, quando ei se opponit, etiam ipsam audiendam, & causam, quam allegat, examinandam, censent *cit. Sanchez n. 163. & Garcias n. 219.*

17. Tertio, Episcopo, imò & Legato

à latere, quando Ecclesiam vel beneficium Jure Ordinario (non tanquam sedis Apostolicæ delegatus) unit, necessarius est consensus capituli Cathedralis, c. *Pastoralis & Clement. 2. cit.* quem, uti & collatoris ac patroni consensum, licet aliqui prævium, aut saltem in ipsa unione intervenientem requirant, alii tamen frequentiori calculò, postea supervenientem sufficere, volunt arg. c. *Quoribus 2. de Præb. & c. Cùm nos 3. de lu. qua d. Pralat. cit. Sanchez n. 170. Garcias n. 147. & Barbosa n. 22.* Ad consensum autem hunc necessarius non est prævium sollemnis tractatus, ad rerum Ecclesiasticarum alienationem requisitus *can. Sine exceptione 12. q. 2. & c. 1. V. Quia etiam, de Reb. Eccles. alien. in 6.* cum; quia solius consensus, non etiam tractatus, minuit *Clem. 2. cit.* tum verò; quia unio, licet aliquò modò, minus tamen propriè dictæ alienationis rationem habet, quam donatio, venditio & similes actus, *Rebuff. in Reg. Cancell. 21. cit. gloss. 11. n. 2. asserens id à Rota decisum, cit. Sanchez cap. 29. n. 172. & Garcias cap. 2. n. 146.*

18. Quarto, ad valorem unionis à Papa istiusque legato faciendæ, necessaria est expressio veri valoris annui beneficium uniendi; & ejus, cui per unionem est annexendum, seu communis æstimationis reddituum annuatim ex iis provenientium; quòd, verò valore non expressò, constare nequeat, an unionem exposcat causa utilitatis vel necessitatis. Secus est, cum unio faciendâ est ab Ordinario; quòd istius verus valor satis perspectus esse præsumatur, *cit. Rebuff. gloss. 5. & Palao §. 2. n. 28.*

19. His tamen etiam conditionibus observatis, perpetuò unire Episcopi nequeunt Primò beneficia quæcunque, vicarias perpetuas & præstimonias seu præstimoniales

P p

montales

moniales portiones diocesis unius, beneficiis, Monasteriis, Collegiis, aut aliis locis piis alterius diocesis, ex decreto Trident. *Sess. 14. cap. 7. de Reformat. cit. Sanchez n. 180. & Barbosa alleg. 66. n. 28.* quantumvis hujusmodi uniones cum utriusque Episcopi consensu fieri poterint Jure antiquo, Socinus in *c. Sicut cit. art. 4. q. 13. n. 80. & art. 6. à concl. 11.*

20. Secundo, unire iidem nequeunt beneficia Parochialia Monasteriis, Abbatibus, dignitatibus ac praebedis alicujus Ecclesiae Cathedralis vel Collegiatae, vel aliis beneficiis simplicibus, hospitalibus vel militiis, ex decreto ejusdem S. Concilii, Ordinariorum potestatem etiam in hoc restringentis *Sess. 24. cap. 13. V. In unionibus, de Reformat. cit. Sanchez n. 184. & Barbosa n. 30.* qui tamen excipere videtur uniones, quae sunt pro fundatione, augmento vel conservatione collegiorum, aliorumve piorum locorum, erectorum ad Fidei Catholicae defensionem propagationemve, bonarumque artium cultum. Sed hoc verisimilius negat Palao *cit. p. 2. §. 3. n. 18.* cum propter generalitatem *V. In unionibus cit. beneficiorum Parochialium uniones indiscriminatim vetantis: tum verò; quòd, cum hujusmodi locis unire expressè permittantur beneficia simplicia Sess. 23. cap. 8. de Reformat. curatorum unio tacitè prohibita intelligatur, arg. l. Si inter 15. ff. de Except. rei jud. junctà Glosà in Clement. 2. V. Directè contrariis, de Test. & atref.*

21. Tertio, beneficia Regularia praebedis Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum: quantumvis istis redditus ita tenues, ut cum distributionibus ad sustinendum canonicum gradum non sufficiant, habentibus, alia beneficia simplicia unire cum consensu patronorum, quibus obnoxia sunt, permittantur *Sess. 24.*

*cap. 15. de Reformat.*

22. Quarto, beneficia Parochialia libera patronatis; ut his accedant & subjiciantur, *Sess. 25. cap. 9. V. Insuper, de Reformat. nisi patronus patronatus juri renuntiet vel inducatur alternativa; ut beneficium unà vice liberè, alterà ad patroni praesentationem conferatur, ut à S. Congreg. declaratum testis est Franc. Leo Theaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 16. n. 14. & Barbosa in cap. 9. cit. n. 83.*

23. Sicut autem diocesium Ordinariis Jure antiquo competens uniendo potestas à S. Synodo aliquò modò restricta, sic aucta aut firmata saltem est Inprimis; ut, licet ad unionem beneficiorum, quae juris patronatus laicalis sunt, patroni consensus ipsis necessarius hodie quoque sit, *Sess. 24. cap. 5. de Reformat. unire tamen sine ejus consensu valeant ea, quae juris patronatus Ecclesiastici sunt, argumentò à contrario ductò ex cap. 5. cit. laudati Sanchez n. 185. & Barbosa n. 31.* Deinde, ut quarumcunque Ecclesiarum & beneficiorum perpetuas uniones non solum ab antecessoribus suis, sed per sedem quoque Apostolicam factas, tanquam ejusdem sedis delegati revidere: & si per sub-vel obreptionem extortae vel obtentae deprehendantur, declarate irritas, earumve effectum impedire valeant, *Sess. 7. cap. 6. de Reformat. ubi Barbosa à n. 3.* Praeterea; ut hoc casu, & quoties beneficia jure ab eadem sede delegatò ununt, juxta dicta ab ipsis ad solum Papam valeat appellari, *c. Super quastionum 27. §. Porro, de Offic. deleg. Demum; ut beneficia curata, quae Cathedralibus aliisve Ecclesiis, Monasteriis, piisque locis unita reperiuntur, ab ipsis singulis annis visitentur, &c. Sess. 7. cap. 7. de Reformat. ubi Barbosa à n. 2. & Palao cit. §. 7. n. 3.*

ARTICULUS III.  
De Monasteriorum  
Ædificatione.

## SUMMARIUM.

24. Monasteria Mendicantium erigenda sunt auctoritate Papæ:
25. Secundum aliquos DD. etiam post Concilium Tridentinum.
26. Verius post hoc erigi possunt auctoritate Episcopali,
27. Servatâ tamen formâ præscriptâ à Clement. VIII.
28. Que in omnium domorum Regularium erectione est servanda.
29. Non etiam in constructione cella in eremo.
30. Vel merâ Hospitii Regularium erectione:
31. Neque etiam in Monasteriorum ampliatione & reparacione.
32. Eorumque ab hereticis everforum readificatione.
33. Eadem servanda est in Monasteriis ab uno in alium locum translatione,
34. Et erectione novi, cui de alimentis plenè est prospectum,
35. Saltem, si eò electo, concursus ad alia esset minuendus:
36. Imò etiam in erectione Monasteriis in loco exempto:
37. Nisi iste sit nullius diœcesis.
38. Monasteria erigendâ licentiam de Jure non dat Vicarius generalis.
39. De Jure ad eorum erectionem necessarius non est consensus Principis Secularis:
40. Cui tamen ea meritiò insinatur:
41. Monasteriis veteri Jure nullus cap-

42. Modernò Jure duodecim saltem personarum numerus est præscriptus:
43. Nisi sint mera Hospitia, Residentia vel Missiones.

**A**lter speciali consideratione dignus five *c. Unici in 6.* textus continet non minùs celebrem Constitutionem, quâ Bonifacius VIII. & ante eum Gregorius X. *c. Unico, de Relig. domib. in 6.* posteaque Clemens V. *c. Cupientes 3. de Pœnis*, sub nullitatis & excommunicationis, ipsò factò incurrendâ, aliisque poenis FF. Prædicatoribus, Minoribus & cæteris Mendicantibus vetuit; ne in civitatibus, castris aut villis domos vel loca quæcunque ad habitandum de novo recipere, recepta mutare, aut ea quocunque venditionis, permutationis, donationis vel alterius alienationis titulò in alios transferre præsumant absque sedis Apostolicæ licentia speciali, hujus prohibitionis plenam atque expressam faciente mentionem. Quod memorati summi Ecclesiæ universalis Antistites statuerunt; ut occurreretur scandalis & querelis, ob novas domorum Regularium erectiones, receptiones, mutationesve ad sedem Apostolicam frequenter perlatis. Quibus Constitutionibus, sicut VV. Conciliorum decretis, *can. Quidem 10. can. De monachis 12. Ec. 10. q. 2. relatis & Imperiali etiam Ordinationi Novell. 67. cap. 1. ad novorum Monasteriorum erectionem Episcopalem solum licentiam exigentibus*, quoad Monasteria Mendicantium aperte derogatum, ita

Dubium controversumque est, an à *citt.* Constitutionum Apostolicarum & præsertim Bonifacii VIII. prohibitione recessum sit à S. Synodo Tridentina *Seff. 28. cap. 3. de Regular. decernente. Ne*

P p 2 de 1689

de cetero similia loca, Monasteria ac Domus, erigantur sine Episcopi, in cujus diocesi erigenda sunt, licentia prius obtenta; ut hodie ad nova, sicut ceterorum, sic Mendicantium quoque Religiosorum Monasteria erigenda solius Episcopi diocesani licentia sufficiat. Ei non derogatum; ac proinde hodie quoque præter Episcopalem etiam Apostolicam consensu opus his esse, volunt Riccius *Prax. Neapolit. decis. 168. n. 4.* Zerola *Prax. Episcop. V. Monachi §. 2.* Tamburini. *Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 5. q. 1. n. 3.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 26. n. 4.* Moventur partim; quod *c. Unico cit. in 6.* consensum Apostolicum præscribenti, *cap. 3. cit.* licentia Episcopalis addita sit, sine illius Juris antiquioris correctione, ex *Declaratione S. Congreg. Card. Concilii Interpp. 19. Decemb. 1620.* partim verò; quod variae Religiones post Tridentinum à sede Apostolica impetrarint indulta, erigendi nova Monasteria de sola licentia Episcopali; cujusmodi indulta supervacanea & inania forent, si ex *cap. 3. cit.* decreto, ipsis solius Episcopi licentia necessaria esset; quia illis nihil fuisset collatum, contra Regulam *c. In iis 30. de Privileg.*

26 Verius tamen est, facultatem ad nova Monasteria erigenda dandi licentiam *c. Unico cit.* reservatam sedi Apostolicæ, à Synodo Episcopis restitutam; ut post publicatum *cap. 3. cit.* decretum, ea erigendi licentia Mendicantibus dari ab his denuo possit, ut cum Rodriguez *Tom. 3. Regular. q. 49. art. 2.* Sorbo *Compend. Privileg. Mendic. annotat. §. 2.* defendit Fagnanus *in c. Non amplius 1. de Instit. à n. 62.* in hanc rem allegans praxin & declarationem S. Congreg. Concilii, ad erectionem, quæ de licentia Papæ sit, Episcopi: & ad eam, quæ de istius licentia, & servata solemnitate, à Clemente

VIII. præscripta, sit, Papæ licentiam non exigentis. Unde *n. 71. in fine* in contrarium allatam declarationem pro Apocrypha habet. Ratio est; quia prohibitio *c. Unici cit.* procedit de illis Mendicantibus, quibus visum tribuit incerta mendicitas, quique ex Regula habere nequeunt redditus & possessiones, *Glossa in c. cit. V. Mendicantes*: quas habere, cum ex decreto *cap. 3. cit.* Mendicantibus omnibus liceat, exceptis duntaxat S. Francisci FF. Minoribus de Observantia & Capucinis, *c. Unici cit.* dispositio in reliquis Mendicantibus cessare: & quia Concilium de omnibus Mendicantibus loquitur generaliter, omnibus nova Monasteria cum Episcopi licentia erigendi facultas videtur restituta.

27 Accedit; quod verisimile non sit, eos, qui ista erigendi licentiam impetrarunt à Papa, ad eam etiam ab Episcopis impetrandam obligari, cum; quia Papalis eò ipso, quod licentia sit, licitum facit id, quod antè non licebat: & ab Ordinarii diocesani arbitrio non debet pendere, *arg. c. Bone 4. V. Nec obsabat, de Postulat. Pralat.* tum verò; quia Clemens VIII. *Constitut.* quæ incipit *Quoniam* edita 23. Julij 1603. declaravit, ab Ordinariis diocesani licentiam ad novos conventus Mendicantium cujusunque Ordinis in suæ diocesis locis erigendos dari non posse; nisi vocatis & auditis aliorum, in iisdem locis existentium, Conventuum Prioribus & aliis interesse habentibus, & causâ cognita, constiterit, novos Conventus in iis erigendos sine aliorum detrimento commode posse sustentari. Quam *Constitutionem* Urbanus VIII. aliâ *Constitutione*, quæ incipit *Romanus 21.* Septemb. 1624. edita innovavit, præmissâ revocatione facultatum Monasterii erigendi de Ordinarii licentia, non servatâ solemnitate, præscriptâ à Cle-

mente VIII. Uade à contrario inferre licet, à Papa isto præscriptâ solennitate observatâ, nova Monasteria erigi à Mendicantibus de folius Ordinarii licentia posse, ut rectè arguit Fagnanus *l.cit. n.66.*

Neque obstat, quòd in dubio admitenda non sit correctio Juris; quia hoc solummodo procedit de correctione odiosa: non de favorabili & reducete ad Jus commune antiquum, *Glosa in c. Cum dilectus 8. de Consuet. & ibi Hostiens. n.17.* qualis est correctio *c. Unic. cit.* facta à Concilio *cap. 3. cit.*

Neque etiam Constitutio Innocentii X. quæ incipit *Inflauranda 22. Octob. 1652.* publicata, & ad cujusunque Conventus Regularium, etiam non Mendicantium, erectionem sedis Apostolica specialem licentiam requirens; quia fines Italiæ & huic adjacentium insularum, pro quibus est condita, nondum egressa; neque ultra montes proferenda est teste *cit. Fagnano n.71.* Sed hinc

28. Dubium oritur secundo, de prædictâ Constitutione Clementinâ præscripta forma, in quarum Domorum Regularium erectione sit observanda. Qua in re, sicut certum est, eam in erectione Monasterii quorumcunque Regularium, etiam non-Mendicantium, imò & Monialium observandam, ut cum Barbofa *Juris Eccles. Lib. 2. cap. 12. n.6.* Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 33. q. 1. num. 4.* Diana *p. 8. tract. 4. resol. 68.* id à S. Congreg. Cardd. Interpp. die 19. 1620. declaratum, afferentibus, tradit Donatus *cit. Tract. 1. q. 21. n. 1.* quòd ea expressè comprehendantur decretò Trident. *cap. 3. cit.* & Constitutio Clementina generaliter sine virorum expressa mentione, vel monialium exceptione, de omnibus cujuscunque Regularium Ordinis conventibus agat: sicut, inquam, hoc certum, sic frequentiori DD. calculò receptum est, eâ

præscriptam formam non necessariò observandam

Primò in erectione cellæ seu habitaculi in eremo seu loco, ab aliorum hominum habitatione remoto, etiam pro eremita Regulari Mendicante destinatis, quia hujusmodi cellæ excipiuntur, *c. Unic. cit. §. fin.* cui quoad hoc posteriori Jure derogatum, non constat.

30. Secundo eandem observandi necessitas seu obligatio non est in erectione Hospitii Regularium; quia hospitium, sicut Domus, secundum Baldum *in l. Plerique 18. ff. De in jus voc. & Jason. ibid. n.8.* sic etiam Conventus seu Monasterii nomine non venit; cum statutum, puniens offendentem aliquem in domo, offendentem in hospitio non comprehendat, secundum Interpp. *cit.* sic Camaldulenses eremitæ, licet conventus facere propè civitates prohibeantur, hospitia tamen propè eas habere permittuntur, per tradita à Tapia *in Aub. Ingressi C. de SS. Eccles. V. Monasteria, cap. 40.* Ita *cit.* Tamburinus *disp. 5. q. 1. n. 10.* & Donatus *q. 22. à n. 1.* qui tamen rectè excipiunt hospitia, habentia publicas Ecclesias & campanas: uti &, in quibus morantes Religiosi administrant Sacramenta & stipendia pro Missis & elemosynas recipiunt; cum enim hujusmodi non merè hospitiorum erectio cæteris Regularibus asserat præjudicium, Clementinæ Constitutionis prohibito ea quoque comprehendet *arg. c. Si civitas 17. de Sent. excom. in 6.*

31. Tertiò eadem forma ex obligatione servanda non est in antiqui Monasterii ampliatione, reparatione & dejecti reedificatione; quia tam *cit.* Clementis Constitutio quàm Synodale Decretum, & Jura etiam Canonica antiquiora loquuntur de erectione, quâ novum jus seu novus titulus in loco acquiritur: quod cum antiqui Monasterii ampliatione, reparatione,

tionem, reedificationem non fiat, has jura illa non comprehendunt: & cum sint stricti iuris, ad ea non extenduntur, Suarez de *Conjur. disp. 23. s. 5. n. 33. cit.* Rodriguez *q. 49. art. 9.* Tamburinus *q. 1. n. 9.* & Donatus *q. 23. a. n. 1.*

32. Quarto in reedificatione Monasteriorum, occupatorum & destructorum ab hæreticis; quia eam etiam jus novum in loco non acquiritur; cum jus pristinum non censeatur extinctum, *cit.* Rodriguez *art. 9.* & Donatus *q. 24.*

33. Quinto eandem formam Rodriguez *cit. q. 49. art. 9.* non porrigi, existimat ad translationem Monasterii in eadem civitate ab uno loco in alium, v.g. commodiorem aut salubriorem. Rationem reddit; quod neque à S. Synodo *cap. 3. cit.* neque *Constitutione* Clementina hujusmodi translationis, sed solius erectionis sive extinctionis novi Monasterii mentio fiat. Contrarium tamen, & in hujusmodi etiam translatione à Clemente præscriptam formam observandam, docent Zerola *V. Monasteria cit.* Bordonus *Miscell. decis. 125.* & Donatus *Traët. 1. q. 26. n. 6.* id aliorum DD. autoritate & S. Congreg. geminâ declaratione confirmans. Ratio est; quod ad ejusmodi translationem Episcopi antiquo, *can. Si quis vult 38. junctâ Glossâ V. eodem, 16. q. 7.* & recentiori Jure Apostolico consensus necessarius fuerit, *c. Unico in 6.* ex quibus textibus interpretationem recipit *Decretum Conciliare & Constitutio* Clementina præsertim; cum istâ præscriptæ solennitatis ratio & causa finalis, ne Regularibus, ad quorum viciniam transfertur, præjudicium aliquod generetur, æquè in hujusmodi translatione habeat locum: & Monasterii mutatio novæ constructioni in hac materia æquiparetur, *c. Unico & Clement. Cupientes cit.*

34. Dubium tertio est, an prædicta for-

ma observanda, atque idcirco Ordinarius priusquam novi Monasterii erigendi licentiam concedat, aliorum Conventuum superiores vocare & audire debeat, si Regularibus, pro quibus id erigendum est, aliunde prospectum sit; ut ab iis cæteri in sustentatione nullum patiantur detrimentum. Seclûsâ speciali Apostolicâ, Ordinarii licentiam tali casu necessariam, quâ inficias eat, non scio. Alios autem Regulares vocandi necessitatem negant *Cæspedes de Exempt. Regul. cap. 1. dub. 8. n. 2.* Donatus *p. cit. traët. 1. q. 17. n. 2. & 9.* quod, cum tali casu cesset causa finalis, ob quam vocari & audiri jubentur *cit.* Clementina, & hanc confirmantis Gregorii XV. *Constitutione*, quæ incipit *Cum alias*, edita 7. Augusti 1622. Ordinariis imposita obligatio cesset. Atque hanc suam Opinionem Rotæ decisio firmat Donatus *q. cit. n. 6. & q. 14. n. 1.* Verum, quia hac decisione actum est de erectione collegii, in quo tantum celebrantur Missæ & asservaretur Sacramentum Eucharistiæ, Rotæ auctoritas in rem hanc magna non est contra *Constitutionum*, eam formam præscribentium, generalitatem. Quare, etiam tali casu cæteros Regulares vocandos & audiendos, docet praxis, teste Donato *cit. n. 9.* & cum Riccio censet Laurent, de Franch. *p. 1. Controvers. inter Episc. & Regular. n. 482.* saltem, si de novo introducendi Regulares ea præstituri sint, quibus diminui potest concursus populi ad Ecclesias antiquas: ut sunt administratio Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, solennis cultus divinus, tumulatio defunctorum, receptio elemosynarum pro Missis &c. cum enim diminutò populi concursu indirectè etiam diminuuntur alimenta, à Clemente VIII. præscriptæ formæ causa finalis, sive periculum detrimenti recipiendi in alimentis non cessat, ut in favorem PP. Theatinorum præ-

rum probè consideravit Rota 24. Jan. 1647. apud Franch. l. cit.

36. Dubium quartò est, an Episcopi licentia Regularibus exemptis necessaria sit ad erectionem Monasterii in loco exempto. Necessariam non esse munitis speciali licentiâ vel privilegiò Apostolicò, jam est insinuatum, patèteque ex c. *Au-  
thoritate 4. de Privileg. in 6.* His autem seclulis, locus est distinctioni inter locum alicujus & nullius diocesis; cum, si intra alicujus diocesis territorium erigendum sit, Ordinarii licentiam necessariam, expressum sit c. cit. Verbis, *Inhibemus, ne in locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere*, scilicet Oratoria & Sacella & multò magis Monasteria erigere, *audcant*: ex quibus, si quâ opus habet, interpretationem recipit S. Synodi decretum cap. 3. cit. & *Constitutio Clementina, Cochier de Jurisdic. Ord. in exempt. p. 2. q. 45. n. 36.* & Donatus *Tract. 1. cit. q. 40.* Si verò locus exemptus sit nullius diocesis, ad Monasterium in eo ædificandum non vicini Episcopi, sed Prælati in eo exercentis jurisdictionem quasi-episcopalem, vel Papæ licentia esset requirenda; quia tali casu Episcopi licentiam nec antiquiora neque recentiora Jura requirunt; cùm Tridentinum Episcoporum licentiam solum exigat ad erectionem Monasteriorum in eus diocesi cap. 3. cit. & Clemens VIII. in civitatibus & locis eorum Ordinariæ jurisdictioni subiectis, cit. Donatus q. 40. & Franch. n. 495.

38. Dubium quinto est, an novi Monasterii erigendi licentiam dare queat Vicarius generalis. Ratio dubitandi est; quòd ejus concessio non sit actus Ordinis, sed jurisdictionis; & Episcopo competat tanquam Ordinario diocesano; ac proinde ei solum confirmato, sede vacante Capitulo & Abbatibus in certi territorii clerum ac populum obtinentibus jurisdic-

tionem quasi Episcopalem, ut eum Donato cit. *tract. 1. q. 17.* & aliis docet Franch. cit. p. 1. n. 503. Vicarius autem generalis possit ea, quæ sunt Ordinariæ jurisdictionis Episcopalis. Atque hæc ratione ductus Cespedes cit. cap. 1. *dub. 21. n. 4. & 5.* hujus licentiæ concedendæ potestatem adstruit Vicario generali. Sed verisimilius huic eam negant Tamburinus cit. *disp. 33. q. 1. n. 2.* Barbosa in cap. 3. cit. n. 30. cit. Donatus q. 18. n. 1. & 2. Franch. n. 505. & Fagnanus à n. 71. propter S. Congreg. Cardd. Interpp. 11. Jul. 1620. & 9. Jan. 1633. redditas declarationes. Ratio est arduitas negotii, c. *Unic. in 6.* ipsi Episcopis adempti: & licet his cap. 3. cit. sit restitutum, propter præjudicium tamen & incommoda, quæ afferre potest, à Clemente VIII. ei præscripta est solemnitas, qualis adhiberi non solet, præterquam in negotiis arduis: ad quæ Vicario illi mandatò speciali opus esse, *Lib. 1. tit. 28. à n. 46.* est dictum.

39. Dubium sextò est, an ad novi Monasterii erectionem necessarius sit consensus seu licentia Principis, aut alterius Magistratus secularis. Eum de Jure non necessarium, Lezana *V. Monasteria, n. 19.* Donati cit. *tract. 1. q. 8. n. 1.* Barbosa in c. *fin. de Eccles. adif. n. 1.* & ab hoc reatorum DD. aliorum communis est sententia: quæ ab iis desumitur ex *can. Euturam 12. q. 1. can. De locorum 3. can. Ecclesia 7. can. Nemo 8. dist. 1. de Consec. c. fin. cit. c. Autoritate 4. de Privileg. in 6.* & ipso etiam Jure Imperiali, l. *Sancimus 4. C. de Episc. & cleric. & Novell. 67. cap. 1.* Rationem reddunt; quòd novæ Ecclesiæ & Monasterii erectio sit opus immediatè spectans Divini cultus incrementum, conservationem ac propagationem Religionis, & spirituale bonum salutemque animarum. Cujusmodi opera autoritative & per viam jurisdictionis pro-

nis promovere, de iis disponere ac statuere, non Secularis, sed Ecclesiastica est potestatis, *can. Certum 3. dist. 10. can. Duo 10. Sc. dist. 96. c. Decernimus 2. c. Quando 3. de Judic. Sc. Si iudex 12. ibi, Quia de re spirituali & Ecclesiastica est, de Sent. excom. in 6. à Deo immediatè concessa B. Petro ejusque successoribus, & per hos alios, præsertim Episcopis, in partem sollicitudinis vocatis, communicata, c. Solita 6. de Major. & Obed. S. Thomas de Reg. Princip. cap. 12. & Navarrus in c. Novit. 13. de Judiciis n. 85.*

40. Ne autem ejusmodi erectio antiquis, præsertim à Principe fundatis Monasteriis præjudiciosa, & ipsi etiam Principi aut subditis gravis & incommoda sit, *cit. Constitutione Clementina* Episcopis præcipitur; ut priusquam ad erectionem procedant, investigent, & causâ cognitâ confect; quòd ea non solum sine aliorum ejus civitatis vel loci conventuum Regularium, sed aliorum quoque interessè habentium detrimento & incommodo fieri possit.

41. Dubium septimò est de numero Regularium, requisito ad novi Monasterii seu Conventus erectionem. Quòd resolvendum est auxiliò distinctionis inter Jura; antiquiori enim certus numerus præscriptus non erat; sed tot solummodo personæ in utriusque sexus Monasteriis recipi permittæ, quot ex illorum redditibus & eleemosynis commodè poterant sustentari, *c. 1. de Instit. c. 1. §. Sanè de Regular. in 6. & Trident. cap. 3. cit.*

42. Novissimo autem Jure *cit. Constitutionis Gregorianæ*, ab Urbano VIII. *Constitutæ*, quæ incipit *Romanus cit. confirmatæ*, Monasteria, conventus, domus seu congregationes vel societates Regularium recipi vetantur: nisi præter alia, ad eorum erectionem requisita, duodecim saltem ex eorum redditibus confluctis seu eleemo-

nis valeant sustentari. Quòd si hujusmodi conventus seu locus, in quo tot personæ sustentari & habitare nequeunt, recipiantur, eos Ordinarii dicecesani jurisdictioni subijci, declaravit, S. Congreg. Card. Interpp. *Decretò de Celebrat. Missar. 27. Jun. 1525.* Quòd decretum, licet ad Religiones omnes earumque Monasteria & conventus propriè dictos, etiam extra Italiam recipiendos porrigi, eadem S. Congregatio, Urbani VIII. autoritate accedente, declaravit: non tamen afficit 43. hospitia aliisque domos, habitationi solum temporaneæ destinatas; quia hæc Monasteria & Conventus propriè non sunt, ut cum Riccio *Decis. 652.* notat Franch. *cit. p. 1. n. 414.* Neque etiam Residentias & Missiones; quia istæ quoque non Monasteria & conventus, sed ad has tantum pertinentes domus sunt; cum in iis habitantes Regulares Conventuales propriè non sint Residentiarum & Missionum, sed Monasteriorum & Conventuum, & quos ipsæ Residentiæ & Missiones spectant, hoc ipsò; quòd duorum Monasteriorum seu conventuum Religiosus seu Conventualis esse, nemo possit, *c. s. junctâ Glossâ, V. Pluribus, de Relig. domib.*

## ARTICULUS IV.

De Religiosorum è suis Monasteriis Egressu.

## SUMMARIUM.

44. Liber è Monasteriis egressus interdicitus est:  
45. Monachis Veteri,  
46. Aliis etiam Religiosis recentiori Jure,

47. *A Clemente & Urbano VIII. innovato.*  
 48. *Illam Naturali Jure illicitum esse, assertivum,*  
 49. *Et negantium vera Opinio.*  
 50. *Egressus de licentia superioris licitus:*  
 51. *Sine ea aliquando graviter:*  
 52. *Flerumque solummodo venialiter peccaminosus est.*

44. **O**ccasione Edificationis Monasteriorum solita brevitate pertractanda est istorum Clausura: cujus vi Religiosus è Monasteriis & conventibus suis egressus, & extraneorum quarumvis, præsertim diversi sexus, personarum in ea ingressus est interdictus: & præsertim quidem proximè sequenti *Articulo* de Virorum Religiosorum, reliquis verò de Fœminarum Clausura agemus.

45. Viris Religiosis è Monasteriis suis egressum sine superioris sui licentia interdictum, sicut DD. sententia constans, sic anceps est jus, ex quo ea prohibitio immediatè descendat; Allegari in eam rem nec malè solent *can. 1. can. Placuit 8. can. Juxta 11. can. Qui verò 12. can. Monachi 35. Sc. 16. q. 1.* Verùm, si horum eisque similibus Canonum tenor accuratius legatur ac ponderetur, generalis & ad omnes Religiosos porrecta prohibitio egressus è claustris ex ipsis non eruetur, cum; quia iis sermo est de solis Monachis, seclantibus vitam contemplativam: tum verò; quia his etiam non indiscriminatim omnis, sed ad actiones executionesque & & forensia negotia tractanda, ad functiones Ecclesiasticas & Clericatus ministeria exercenda egressus est interdictus; quòd præsertim illis Ecclesiæ seculis ejusmodi etiam spiritualia munera à Monachorum, ut, pote Sacerdotio non initiatorum, insti-

tuto adeò fuerint aliena; ut populo Christiano, ipsas quoque Monasteriorum Ecclesias frequentanti, Sacramenta cæteraque Divinà non per Monachos, sed per Seculares clericos ministranda, ab Urbano III. decretum fuerit *c. 1. de Capell. Monach.* ut ad hanc Rubr. dictum est n. 4.

Relatis & Monachali duntaxat instituto accommodatis textibus liberi è Monasteriis egressus generalem inhibitionem efficacius evincit *c. Quando 7. de Offic. Ordin. quòd & Clement. 1. §. Quia verò, de Statu Monach. Sc.* sicut Monachis, sic & Regularibus canonicis directè prohibità evagatione ad curias Principum ac Magnatum, apertè supponitur, Religiosis omnibus illicitum è Monasteriis & conventibus suis egressum sine licentia superioris: quæ prohibitio generalis disertè innovata est à S. Synodo Trident. *Sess. 25. cujus cap. 4. de Regular. relatum decretum est, Nec liceat Regularibus à suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint.*

Synodali huic postea accessere decreta S. Congregat. Cardd. Interpp. edita jussu Clementis VIII. *Constitut.* quæ incipit *Nullus omnino*, publicata die 25. Junii 1599. cujus, §. 18. est, *Ut omnis scandalorum & vagationis occasio tollatur, conventus Clausura perpetuò & diligenter servetur; & propterea à superiore janitor constitutur, qui janua custodienda semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium & exeundi licentiam obtinuerit.* quibus §. 19. subjicitur, *Nullus è conventu egredi audeat, nisi ex causa & cum socio, licentiæque singulis vicibus impetratà à superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causâ probatâ, sociumque exituro adjungat, non petenti rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius: licentia verò generalis exeundi nulli omnino*

Q9

conceda-

concedatur. Additur §. 20. *Contravenientes autem penam gravem, etiam carceris, ad superioris arbitrium plebantur. Eandem etiam janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.* Quæ S. Congregationis decreta sub Urbano VIII. innovata referuntur postejus *Constitutionem*, quæ incipit *Romanus*, 28. Augusti 1624. publicatam. Ubi

48. Dubium & controversia quædam est, an Clausuræ, liberum è Monasteriis & conventibus suis egressum Religiosis non permittentis, obligatio ex humano duntaxat vel altiori Jure descendat. Ratio dubitandi est; quòd Religiosus ipsa professione se tradiderit Religioni & subjecerit gubernationi Prælati, istiusque imperiis non solum parere, sed ad parendum quoque paratus esse teneatur ex Voto Obedientiæ; ac proinde liberè, hoc est, non requisitò & incitiò Prælatò, attentatò è Monasterio egressu Prælati gubernationi & imperiis se subtrahendò ex professione & Obedientiæ voto ortam obligationem violet: quod Naturali Juri non minus adverstatur, quàm violatio ex contractu aliavè promissione. natæ obligationis; cum Naturale jus ad inviolabiliter custodiendam obligationem, ortam ex Religiosa professione & Obedientiæ voto, non minus obliget, quàm adstringat ad implendam obligationem, ortam ex contractu aliavè promissione: quam, omni alio Jure secluso, observandam, lumen & ratio naturalis dicat, ut dictum *Dissert. Proam. n. 52. in fine.* Quà ratione ducti Suarez *Tom. 4. de Relig. Lib. 1. cap. 6. n. 8.* & Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 7. n. 2.* virorum Clausuram, quatenus liberum è Monasteriis egressum inhihet, Religiosâ professione & Obedientiæ votò suppositis, Divini & Naturalis Juris esse, volunt.

49. Eâ tamen, utcunque speciosâ ratione, nihil moti Miranda *Manual. Prælat.*

*p. 1. q. 22. art. 1. concl. 1. & Donatus Tom. 1. Prax. Regular. p. 2. tract. 3. q. 9. n. 1.* cum Navarro *Comment. 4. de Regular. n. 29.* clausuræ, liberum è Monasterio egressum inhihentis, obligationem à Jure, humanò altiori, descendere negant. Rationem reddunt; quòd Naturalis Juris illud tantum sit, quod ex instinctu & dictamine naturæ, non ex Constitutione aliqua, *can. Jus Naturale 7. dist. 1.* Divini autem illud duntaxat, quod sacri Bibliorum codicis textu aliquo vel traditione Divina habetur, ex mente D. Thomæ 2. 2. *q. 88. art. 4.* quorum neutrum verum est de virorum Religiosorum clausura; cum Apostolicò & huic proximis seculis veri Religiosi fuerint absque Clausura, ut cum Doctore Angelico *l. cit.* tradit Cajetanus 2. 2. *q. 38. art. 11.* eaque ortum duxerit à Monachis antiquis: hisque præcepta primùm fuerit à Concilio Nicæano & Constitutionibus Apostolicis relatis *can. 1. can. Placuit & c. cit.*

Neque cum resolutione ista pugnat ratio dubitandi; quia, Ecclesiæ communi, & speciali Religiosorum Ordinum Jure seclusò, Religiosâ professione & Obedientiæ voto non adverstatur quivis liber è Monasterio egressus; cum Religiosis professio illa & votum non obligent; ut Religiosus in conspectu & oculis Prælati continuò versetur: sed solummodo; ut id non faciat contra illius jussionem, & paratus sit ad istius sibi intimatæ promptam executionem: quæ, sicut Prælati à Monasterio absentia, sic etiam liber extra Monasterii clausuram egressus & ad aliquot horas in loco vicino absentia moraque non tollit vel excludit.

Dubium secundò est, an Clausuræ, è Monasterio egressum inhihentis, obligatio sit gravis. Per se gravem esse negat Navarrus *Comment. 4. cit. n. 35.* & affirmat Suarez *cit. cap. 6. n. 5.* pro quorum senten-

sententiis in concordiam, si possunt, redu-  
cendis tres casus distingueri juvabit.

30. Primò enim omni etiam veniali cul-  
pâ egressus vacat, quoties extra Mona-  
sterii septa Religiosus egreditur de licen-  
tia superioris expressa vel tacita, imò eti-  
am rationabiliter præsumpta; quia com-  
muni Jure extra illa egressus non simpli-  
citer & absolutè, sed absque superioris li-  
centia est interdictus. Quod ad eò verum  
est; ut extra illa de licentia superioris,  
eam irrationabiliter & sine justa causa  
concedentis, egressus ab omni culpa, ad-  
versus Claufuram commissa, excusetur;  
cùm de licentia quomodocunque concessa  
egressus extra Prælati regimen non con-  
stituatur. Dixi, *Jure communi*, propter  
Carthusienses, Camaldulenses & similes:  
quibus, quia speciali Jure egressus sine justa  
causa sub peccato simpliciter prohibitus  
est, sine justa causa obtenta egrediendi li-  
centia non proficit ad exculationem à  
culpa; cùm ejusmodi licentiæ concessio  
dispensatio quædam sit in lege superioris;  
atque idcirco facta sine justa causa, egres-  
sus incohonestante, invalida sit, per tradita  
*Lib. 1. tit. 2. n. 168. cit. Suarez n. 15. &  
Palao n. 3.*

31. Secundo, graviter peccaminosus est  
Religiosi è Monasterio egressus sine licen-  
tia factus ex Regulæ ac professionis vel  
superioris illum vetantis contemptu, vel  
cum gravi scandalo damnosè & infamia  
Religionis aut ipsius Religiosi conjunctus.  
Ratio est partim; quia ex contemptu trans-  
grediens Regulam & insuper habens præ-  
ceptum superioris directè contra profes-  
sionem & Obedientiæ votum agit, ut cum  
S. Thoma 2. 2. q. 85. art. 9. advertunt *cit.*  
Suarez n. 6. & Donatus q. 13. n. 5. partim  
verò; quia ad grave scandalum proximi,  
lesionem communitatis, istiusque & suam  
infamiam vitandam Charitatis & Justi-  
tiæ lex quemlibet graviter obligat, *cit.*

Navarrus n. 35. Miranda *Art. 2. concl. 1.*  
& Donatus n. 6. Confirmatur; quia *cit.*  
S. Congreg. *Decreti* Clementis VIII jussu  
editi §. 20. graviter, etiam carceris aliavè,  
superioris arbitriò, pœnâ plecti jubetur  
violatio claufuræ, quæ tali è Monasterio  
egressu vel maximè violatur. Unde

Infertur, lethalem culpam à Reli-  
giòso committi per nocturnum & furti-  
vum è Monasterio egressum, cùm; quia à  
Clemente VIII. in *Motu proprio*, qui inci-  
pit *Sanctissimus* 26. Maji 1593. editò ca-  
sibus, à superioribus Religionum reserva-  
ri permittis, secundo locò adnumeratur,  
*Nocturna & furtiva è Monasterio seu con-  
ventu egresso, etiam non animò apostan-  
tandi*, manifestò argumentò, talem egres-  
sionem esse mortaliter peccaminosam;  
cùm reservationi propriæ dictæ obnoxia  
sola mortalia eò ipsò sint; quòd ea sola  
sint materia necessaria Pœnitentiæ Sacra-  
menti, ut cum laudato Suarez de *Pœnit.*  
*disp. 29. s. 3. n. 2.* docent Laiman *Lib.*  
*5. tract. 6. cap. 12. n. 3.* & Card. de Lu-  
go de *Pœnit. disp. 20. n. 14.* Similem cul-  
pam committit is, qui sine ulla Superioris  
licentia interdium à Monasterio egreditur  
animò extra id pernoctandi, multòque  
magis extra Monasterium diutius per-  
manendi; quia talis mora seu mansio ex-  
tra Monasterium non minus scandalum  
generat, nec minorem infamiam parit,  
quàm egressio nocturna; cùm ista non  
tam ratione modi & circumstantiæ egres-  
sus, quàm liberæ moræ seu mansionis ac  
perseverantiæ nocturnæ extra Monaste-  
rium offendat, infamèque & graviter sit  
peccaminosa. Suarez *cit. cap. 6. n. 7. &  
Palao n. 3.*

Tertiò, è Monasterio sine superioris  
licentia egressus ad aliquot horas diurnas,  
cum scandalo & infamia aliunde non con-  
junctus, regulariter, & speciali Religio-  
num institutò ac rigore seclusò, culpam  
solum-

commodo venialem inducit, præsertim si absque advertentia ad Regulam fiat, Navarrus *cit. n. 35.* Palao *cit. n. 3. in fine,* Barbofa *in Trident. cap. 4. cit. n. 3.* & Donatus *n. 7.* Ratio est; quia talis egressus prudentum æstimatione non censetur esse sui substractio notabilis à subjectione, gubernatione & obedientia Prælati.

## ARTICULUS V.

## De Fœminarum Ingressu in Monasteria Virorum.

## SUMMARIUM.

53. Fœminis illicitus est ingressus in Monasteria Religiosorum,
54. Sive loca comprehensa istorum Clausurâ,
55. Et intra hanc sitam sacrificiam;
56. Quam & alia illorum loca qua extra Clausuram sita sunt, licitè ingrediuntur.
57. A Monasteriis excluduntur etiam Comitissa, Marchionissa & Ducissa.
58. Non etiam Regina harumque filie,
59. Earumque decens ac solitus comitatus,
60. Et Monasteriorum Fundatrices.
61. Alie etiam admittuntur ex urgenti Necessitate,
62. Vel invitantis Pietatis causis;
63. Quatenus hæc id exigunt & quamdiu durant.
64. Fœminarum in casu non licito Monasteria illa ingredientium,
65. Et Regularium eas admittentium pœna,
66. Harumque relaxatio.

Sicut Religiosis Viris liber è suis Monasteriis egressus, sic in ea interdictus ingressus est extraneis, præsertim Fœminis: idque non solum specialibus singularum Religionum Institutis, sed Apostolicis etiam Ordinationibus B. Pii V. *Constitut.* quæ incipit *Regularium* 23. Octob. 1566. & *Motu proprio*, qui incipit *Romanum* 16. Julii 1570. & Gregorii XIII. *Constitut.* quæ incipit *Ubi gratie* 23. Decemb. 1581. publicatis. Quarum Constitutionum, quia postremâ sive Gregorianâ specialiter agitur de personis, quæ prætextu facultatis, à summis Pontificibus obtentæ & ipsâ revocatæ, Monialium Monasteria ingrediuntur extra casus permisos, ejus explicatione aliquantisper sepositâ & ad sequentes *Articulos* rejectâ, præsentî declaratio aliqua danda est prioris *Constitutionis* Pianæ: quâ, licet præcipuè sermo sit de fœminarum in Monasteria Religiosorum ingressu prætextu facultatis, à sede Apostolica acceptæ & revocatæ, posteriori tamen sive *cit. Motu proprio* B. Pii ejus dispositio & pœnæ ad quarumlibet fœminarum in Religiosorum Virorum Monasteria ingressum, etiam nullius Apostolicæ facultatis prætextu, extra casus permisos attentatum, sunt extensæ. Pro hujus itaque Pianæ *Constitutionis Motusque proprii* declaratione

Dubium primò est, quam loca iis veniant nomine Monasterii & Domûs Religiosæ, quorum ingressus fœminis est interdictus. Quia in re certum est, utroque tam Monasterii quam Domûs, imò & Loci, *cit. Motu proprio* expressi, nomine intelligi non solum dormitorium & cellas Religiosorum habitationi &c. accommodatas, sed loca omnia comprehensa septis Monasterii: uti etiam sunt officinæ, atria, ambulacra; porticus, horti &c. intra quæ Religiosi communem vitam degunt & quæ

55. & quæ intra Monasterii januam unam vel plures, janitoris custodia commendatas, murósque illud ambientes continentur, Navarrus *Comment. 4. de Regular. n. 62.* Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 17. à n. 12.* & Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 8. à n. 6.* prædictis locis addentes sacrificiam non solum, quando ad eam accessus per solam Monasterii januam & claustrum est: sed etiam, quando ad eam ingressus patet per Ecclesiam, à qua illa medio pariete est sejuncta; quòd talis sacrificia non, ut sacella, Ecclesie, sed ipsius Monasterii pars reputetur: nisi ad illam mulieres pro Confessionibus in aliqua Religione vel Monasterio ex consuetudine admittantur, ut cum *cit. Sanchez n. 17. in sine* observat Laiman. *Lib. 4. tract. 5. cap. 11. n. 5.*

56. Ea contrà loca, quæ extra Monasterii januam murósque id ambientes & claudentes sunt, Monasterii Domúsque & Loci Religiosi nomine non comprehenduntur; ut adeò *cit. Constitutio Mosisque B. Pii* non afficiant ingressum in Monasterii Ecclesiam, nisi hanc, ut Carthusianorum & Camaldulensium Ecclesias, ipsa Monasterii septa concludant: in atrium extra januam situm: in prædia, domos, hortósque à Monasteriis sejunctos: in atria & scholas Gymnasiorum, Societatis JESU Collegiis ac Domibus contiguorum: in Monasteria domósque necdum constructas & à Religiosis inhabitatas: in domos à Monasteriis distantes, ad quas Religiosi necessaræ animi relaxationis causâ quandoque excurrunt: in Residentias solummodo temporaneas &c. Quamvis ad talia quoque loca, dum in iis Religiosi versantur, cœminæ non facile sint admittendæ. Multò minùs admittendæ sunt ad Residentias Religiosorum perpetuas, & ad Prioratus Ordinum S. Benedicti & S. Bernardi, in

quibus Religiosi stabiliter & in forma Conventus sub Prioris aut alterius Superioris disciplina degunt, & Ecclesiam cum Eucharistia habent; cum enim tales Religiosæ domus reputentur & revera sint, mulieres in eas introducere & ingredi præsumentes in censuras, aliásque penas *Piana Constitutione* latas, incidunt, *cit. Sanchez n. 20.*

Dubium secundò est, quibus feminis in virorum Monasteria interdictus sit ingressus. Videri enim primò occursum potest, eum indiscriminatim omnibus interdictum; cum *Piana Constitutio* disertis verbis eum inhibuerit *Mulieribus cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis & quacunque dignitate ac præ eminentiâ prædictis, Comitissis, Marchionissis, Ducissis;* ut adeò Reginis quoque & ipsi Imperatrici in illa ingressus inhibitus videri possit.

58. Verùm, quia B. Papa, orationem finiendò in Ducissis, supremum gradum mulierum, à Monasteriorum ingressu excludarum, expressit, has duntaxat iisque dignitatis gradu inferiores aut æquales: non etiam superiores, ut Imperatrix, Regina, earúmque filie sunt, pœnalis suæ prohibitionis generalitate comprehendit, ut cum *Rodriquez Tom. 1. Regular. q. 48. art. 1. §. Circa quem pr. sultinent cit. Sanchez n. 5. Laiman. n. 5. Palao n. 3. & Donatus Tom. 1. Prax. Regular. tract. 4. q. 9. n. 1. partim;* quia istæ ob singularem dignitatis prærogativam in odiosis Mulierum nomine non veniunt, nisi in specie exprimentur: partim verò; quia notâ & mentione speciali dignæ sunt & mulieribus, *Piana Constitutione* in specie expressis, majores: in generali autem, præsertim pœnali & odiosa, dispositione non veniunt, quæ speciali notâ & mentione digna & in specie expressis sunt majora, *c. Sedes 15. de Rescript. c. Quia periculo*

periculosum 4. de Sent. excom. in 6. § 1. Item apud 15. §. 26. ff. de Injuriis. Cum principalibus his, etiam foeminis ipsas comitari solitis in Religiosorum Monasteria & conventus ingressum permittunt, docent *cit.* Sanchez n. 6. & Laiman. n. 5. arg. c. Licet 11. de Privileg. in 6. ex cuius decisione personæ indultum privilegium, audiendi Divina tempore interdicti, extenditur ad personas, illam solitas comitari.

Neque Regiarum filiarum & Reginas comitantium foeminarum ad Religiosorum Monasteria admisioni adversatur declaratio Gregorii XIII. & S. Congreg. Cardd. reddita Religioni Minimorum; cum enim ista, an Regulæ suæ, mulieres de stirpe Regia & fundatrices ad domos suas cum decenti comitatu ingredi volentes admittenti, initio allegatis Constitutionibus Apostolicis derogatum sit, ambigerent, & summum illum Ecclesiæ Antistitem consulere, ab eo ex S. Congregationis sententia responsum tulere, Regulæ quoad Reginas & fundatrices duntaxat non derogatum. Unde, has duntaxat, non etiam filias & gynæceum domos Minimorum ingredi ad easque admitti posse, arguit Rodriguez q. cit. art. 1. Non, inquam, ea declaratio dictis adversatur, cum; quia, an ea authentica & ad alias Religiones porrecta sit, non satis constat; cum declarationibus suis summi Pontifices non raro aliquid novi addere soleant, & Gregorius addidisse videatur intuitu specialis observantiæ Ordinis Minimorum: tum verò; quia, præter fundatrices Reginas duntaxat admittendas, declarandò, Ducissas duntaxat, Marchionissas aliàsque inferioris dignitatis foeminas: non etiam iis majores Reginarum filias & solitum ac decentem earum comitatum exclusisse videtur, arg. c. Licet *cit.*

An Fundatrices ad sola Minimorum, vel ad aliarum quoque Religionum à se condita & dotata Monasteria admitti, eaque ingredi valeant, in dubium aliqui vocant: & *cit.* Sanchez n. 7. ingressum ipsis in earum tantum Religionum Monasteria permittunt, existimat, quæ similem Regulam, fundatrices suas admittentem, habent. Verisimilius tamen & praxi conformius fundatrices, à se fundata datatæque aliarum etiam Religionum Monasteria ingredi volentes, Pianâ Constitutione non arceri, existimant Suarez Tom. 4. de Relig. Traçt. 8. Lib. 1. cap. 7. n. 6. & Palao *cit.* p. 8. n. 4. quòd, cum à se fundatorum Monasteriorum patronæ & quasi dominæ; atque idcirco speciali notâ dignæ sint, generalis Constitutionis prohibitionem ipsæ quoque non debeant comprehendere.

Dubium tertio est de casibus & causis, ex quibus in Religiosorum virorum Monasteria ingressus mulieribus est permittus. Tales duæ à DD. assignantur. Una Necessitatis, altera Pietatis.

Ex priori sive Necessitatis causa illicitus in virorum Monasteria ingressus licitus est. Inprimis pro Monasterii ejusque rerum defensione adversus incendium in illo exortum; cum enim ex hac causa viris licitus sit ingressus in Monasteria Monialium, quarum strictior, quam Religiosorum virorum clausura est, ex ea foeminis licitus erit ingressus in Monasteria virorum, ut non malè arguit *cit.* Palao n. 8. Deinde pro salute Religiosi, qui, gravissimò morbo decumbens, ab eo liberari aliter, quam curâ opèque foeminæ, ejus morbi curandi peritæ, non posse judicatur, *cit.* Rodriguez Art. 7. ad finem Sanchez n. 30. & Donatus q. 13. à n. 1. Demum, si mulier ab hostibus vel ab aliis occidenda vel corrumpenda intra Monasterii septa aliquamdiu se recipiat & abscondat;

abscondat; quod aliâ ratione vitam vel pudicitiam nequeat servare; tali enim casu ejus intra claustrum ingressum ac receptionem à culpa, & in consequentiam à censura aliisque pœnis utique urgens gravissima necessitas excusaret, *citt. Navarrus n. 62. & Donatus q. 13. n. 6.*

62. Ex posteriori sive Pietatis causa idem ingressus mulieribus licitus est, si processio vel deductio funeris ad Monasterii sepulturam fiat: si in eo vel in facellis intra clausuram sitis Missa, Vigilia, concio vel spiritualis sermo, vel aliud officium Divinum habeatur: si tantus populi affluxus & concursus sit ad Ecclesiam, ut per istius portam omnis ingredi vel egressi non possit; tali enim casu viris fœminisque ingressum & egressum per portam claustrum, recto tamen tramite permittunt *citt. Rodriquez q. 48. art. 3. Sanchez à n. 22. Palao n. 9. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 102. n. 86. & Donatus q. 3. §. 19. utrobique n. 1. allegatâ & relatâ Pii V. declaratione.*

63. Rectè tamen hac in re *citt.* aliique DD. monent Primò, intra Monasterii claustrum ingressum fœminis non permittunt; ut intersint Philosophicæ aut etiam Theologicæ disputationi, vel repræsentationi theatri etiam piæ; quia hæc non veniunt nomine Processionis, Missæ vel Officii Divini. Secundò, ad Missas etiam, Vigiliis & officia divina, intra claustrum celebranda, ingressum mulieribus non permittunt, multò ante vel post illorum celebrationem; quòd ingressum illum cohonestans causa vel necdum adsit, vel jam cessarit. Tertio, durante etiâ processione, funeris deductione, Missâ &c. mulieres sine violatione clausuræ curiosè evagari non posse extra locum, in quo illa peraguntur, multòque minus ad officinas interiores, hortum & loca superiora; quia talibus casibus clausura solùm

cessat respectu loci, in quo res illæ & officia divina peraguntur. Quarto, Prælati aliisque Regularium Superioribus non licere, Processiones, Missas, aliisque divina officia extraordinaria eo solùm sine instituere; ut mulieres intra Monasterii claustrum ingrediantur; quia clausuræ relaxatio non curiositatis, sed Pietatis duntaxat fovendæ causa est permissa, *citt. Rodriquez art. 3. Sanchez n. 23. & Donatus q. 21. à n. 1.* Quamvis autem Prælati aliisque Superior ex tali causa Processionem v.g. extraordinariam instituens propter abusum suæ potestatis peccet & puniendus sit, verisimilibus tamen non incurrit pœnas, violationi clausuræ impositas *Constitutione Pianâ*; quia non admittit fœminas, in casu non permisso ingredienti, ut cum Bonacina *de Clausura q. 5. p. 4. n. 14.* & aliis notat Donatus *q. cit. n. 6.*

64. Porro propositæ clausuræ violationi *citt. Constitutione Pianâ* pœnæ aliæ in mulieres, virorum Monasteria extra casus permittunt ingredienti: aliæ in Prælatos, aliòsque, illas in ista introducentes & admittentes, constitutæ sunt.

Et in mulieres quidem lata est excommunicatio Papæ reservata: quam tamen ut contrahant, præsumptione opus esse, satis indicant *Constitut. cit.* verba *Audeant & Prasumant*, ausum temerarium & præsumptionem expolcentia, ex mente Navari *cit. n. 62.* & Suarez *de Censur. disp. 22. f. 6. n. 14.* ut adeò ab ea censura excuset inadvertentia, oblivio & quælibet Juris aut facti ignorantia: dummodo ea non sit affectata, *citt. Sanchez cap. 16. n. 96. & Palao cap. 8. n. 10. §. Rursus.* Ab excommunicatione autem, temerariò ac præsumptuosò ingressu contracta, eò ipsò, quòd reservata sit, absolvi à nemine possunt, præterquam à Romano Pontifice, ab eòve delegatis:

legatis: qualis, si ea censura occulta, & ad forum contentiosum deducta non sit, proprius earum Episcopus est, ex *Decreto S. Synodi Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* deinde virtute Bullæ Cruciatæ ab ea absolvi possunt à quolibet confessorio semel in vita & semel in mortis articulo: & demum à Confessariis Ordinum Mendicantium & aliis, quibus concessorum privilegiorum fruuntur communicatione, *citt. Sanchez cap. 15. n. 76. Palao n. 12. & Donatus q. 33. an. 5.*

65. In Religiosos autem, sive ii superiores sive subditi sint, mulieres extra casus permisos intra claustrum introducere vel admittere præsumentes, lata est Imprimis suspensio à Divinis: quæ, licet ipsò factò incuratur, Papæ tamen absolutioni reservata non est, ut cum *Thefauro de Pœnis Ecclesiast. p. 2. V. Clausura, cap. 3. n. 1.* notat *citt. Donatus q. 26. n. 3.* ut adeò ab ea absolvi queant à propriis Episcopis; & si ab istorum jurisdictione exempti sint, à Prælatiis suis Regularibus, tanquam obtinentibus in ipsos jurisdictionem quasi Episcopalem & quoad ipsos succedentibus locò Episcoporum, *Suarez cit. Tract. 8. Lib. 2. cap. 11. n. 1. Lezana Tom. 1. Summa, cap. 18. n. 2. & cit. Donatus q. 30. n. 1.* Deinde privantur officiis, quæ in præsentì obtinent & annexam habent jurisdictionem, ut sunt Abbatia, Prioratus Conventuales, Guardianatus, Rectoratus & alia Præposituræ Provinciales & Locales: non etiam officia Definitoris, Concionatoris, Lectoris, Confessarii & similia; quia hæc annexam non habent jurisdictionem. Demum contrahunt inhabilitatem ad officia illa & alia in posterum obtinenda, *citt. Sanchez cap. 15. n. 66. Donatus n. 8. & Palao n. 10.* qui tamen advertit, utramque hanc tam privationis quam inhabilitatis pœnam, licet ipsò factò cen-

trahatur, sententiam declaratoriam exigere; ut, officia ipsa dimittere, actu teneantur, eaque & alia in posterum consequi non possint; quòd nemo se sponte proderet & infamare, rebusque & juribus suis privare teneatur; ac proinde expectare queat, donec sententia criminis declaratoria fuerit lata, *arg. c. Cum secundum 19. de Hereticis in 6.*

Neque advertatur; quòd *citt. B. Pii Constitutione*, privationem & inhabilitatem illam ipsò factò sine alia declaratione incurri, asseratur; quia verba hæc referenda sunt ad eorum pœnam; cum ista non exigat sententiam, quæ claustræ violator ad ipsam condemnatur: sed sufficiat sententia declaratoria criminis, sive in casu non permisso factæ introductionis vel admissionis mulieris in Monasterium, per tradita à Navarro de *Dat. pro Jusit. & Grat. Ec. n. 44. Sanchez Lib. 1. Moral. cap. 39. n. 31. cit. Donato q. 27. n. 4. & tradenda infra Tit. 37. n. 19.*

In ea autem officiorum privatione ad eaque inhabilitate in posterum, post latam sententiam declaratoriam criminis, dispensationem à solo Papa ab eòve delegatis obtineri posse, existimat *Sanchez cit. cap. 16. n. 78. pr.* Verùm, quia in eam rem jus aliquod vel rationem solidam non allegat, verisimilius alii, in privatione & inhabilitate illa, post emendationem tamen & peractam poenitentiam, dispensari posse, docent ab iisdem, qui in poena suspensionis ab officiis, possunt; quòd cum Papæ reservata non sint, Ordinariis permittæ censeantur, *arg. c. Nuper 29. de Sent. excom. Rodriguez Tom. 1. Regular. q. 24. art. fin. §. Secundum Pontius Lib. 8. de Matrim. cap. 7. n. 8. & aliis relatis Palao cit. p. 8. n. 12. in fine & Tract. 3. disp. 6. p. 6. n. 8.*

## ARTICULUS VI.

## De prohibito Monialibus ex suo Monasterio Egressu.

## SUMMARIUM.

67. Clausura lex à Bonifacio VIII, promulgata,
68. A Concilio Tridentino & SS. Pontificibus aliis innovata;
69. Ac proinde non Divinò vel Naturali,
70. Sed humanò tantùm Jure introducta fuit.
71. Imponi ea à Papa potuit Monialibus omnibus:
72. Etiam iis, in quarum Monasteriis ante Professionem non fuit recepta.
73. Locus clausura est ipsum Monasterium seu domus Conventualis,
74. Sive spatium interiori ejus portæ & ab ipsa ductis muris cinctum:
75. Intra quod communiter viventes mulieres, si solennia,
76. Et non simplicia duntaxat, Religionis vota emiservint,
77. Et Conversa quoque ac Tertiaria Clausura lege tenentur:
78. Nisi ipsa simplicibus tantùm votis sint adstricta.
79. Clausuram Episcopus inducit in Monasteria sibi aut Papa:
80. Non etiam in Prelato Regulari exempto immediatè subiecta.
81. Extra clausuram egrediendi licentia concedi potest ex variis causis,
82. Approbatis ab Episcopo:
83. Licet Monasteria immediatè subdita sint Prelato Regulari.

84. *Pena violationis clausura per egressum extra eam.*

**U**T Deo per votum addictæ Virginitatis thesaurum inviolatum securius custodirent, divinòque servitio vacarent liberius, fœminæ quàm plurimæ nihil magis, quàm ex virorum confortio imminenti pericula devitare, coire in cætus, & Clausuram colere ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio jam ceperunt, & succedentibus seculis consueverunt. Quod autem ab initio consilio & suasionibus PP. aliarumque Deo sacrarum mulierum exemplò factum liberè ac sponte, cum tempore transit in legem, à Bonifacio VIII, promulgatam Constitutione, c. 1. de Statu Monach. in 6. relatâ: cujus pr. laudatus Papa sancivit, *Universas ac singulas moniales presentes atque futuras, cujuscunque sint Religionis vel Ordinis, in quibulibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere clausura: ita quòd nullâ earum, Religionem tacitè vel expressè professæ, sit vel esse valeat quâcunque ratione vel causâ Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas.*

Saluberrimam hanc Constitutionem in usum, ut oportebat, non ubique ductam advertens, multumque dolens S. Synodus Tridentina postea innovavit Sess. 25. de Regular. cujus cap. 5. *Universis Episcopis sub maledictionis aeternæ interminatione precepit; ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis Ordinariâ, in aliis vero sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurant, inobedientes atque contraditores per censuras Ecclesiasticas aliasque penas, quâcunque appellatione postpositâ, compescerent.*

R r

Eandem

Eandem Bonifacii VIII. Constitutionem & Synodale hoc decretum Pius V. *Constitut.* quæ incipit *Circa pastoralis*, 4. Calend. Junij 1566. & *Constitut.* quæ incipit *Decoris*, Calend. Febr. 1559. editis, & cum illis has quoque Gregorius XIII. *Constitut.* quæ incipit *Deo sacris*, 21. Junij 1573. publicatâ, confirmavit. Unde

69. Dubium oritur primò, an ergo Monialium clausura Jure solum humanò sit introducta; fuere enim DD. qui eam esse Juris Divini, imò à Naturali descendere existimarent: quibus ansam præbuerunt *citt. Constitutiones* Apostolicæ, Monialium è Monasteriis egressum illis periculosum noxiùmque, scandalis ac periculis plenum asserentes: & *Decretum* Synodale, consuetudini, quæ illum permittebat, etiam immemoriali derogans, non obscurò argumentò, illum Divino ac Naturali Juri adversari; cum, si adversaretur solum humano, consuetudo huic prævalere & Monialium è Monasteriis egressum cohonestare posset, *arg. c. fin. de Consuet.*

70. Verùm, quia clausuræ obligatio neque Sacris literis, neque Traditione aliqua divinâ nititur: & è claustris egrediendi facultas cum scandalo & periculo conjuncta per se non est: sed ista merè per accidens, & non tam ex egrediendi facultate, quàm ex illius abusu & vagandi licentia aliquando sequuntur, Monialium clausuram humani solum Juris esse præceptum: & huic contrariam consuetudine prævalere non minùs, quàm huic Jus illud derogare posse, satis concors & constans DD. sententia est; quòd in rebus Naturali vel Divinò Jure non prohibitis eadem, quæ lex, vi polleat rationabilis & legitime præscripta consuetudo, *c. fin. cit. § l. De quibus 32. ff. de LL. ut Lib. 1. tit. 4. n. 3.* est dictum. Quare damnanda non est consuetudo, vi

cujus hodie quoque in Germaniâ nostræ pluribus Monasteriis, Constitutionibus Apostolicis & decreto Synodali *citt.* præcepta clausura non observatur.

Neque, ut primò occurru appareret, clausuram Naturalis Juris esse, inde inferitur; quòd hòc Jure Moniales teneantur ad observantiam voti Obedientiæ, sub se continentis, quiddid secundum Regulam præcipit superior; atque idcirco, si iste observantiam clausuræ præcipiat, istius obligatio sit Juris Naturalis, cui non prævalet ulla consuetudo, *c. fin. cit.* Non, inquam, hoc legitime inferitur; quia, esto votum illud includat, quod juxta Regulam præcipit superior, istius tamen secundum Regulam præceptum Jus est merè humanum: sicut tale est, quod præcipit Papa, licet huic obediendi obligatio sit Juris Divini; ut adeò, sicut Apostolico ab isto, sic à superiore proposito clausuræ præcepto, sive legi consuetudo valeat derogare, Azor *p. 1. Institut. Lib. 13. cap. 8. q. 1. §. In his &c. Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 15. n. 4. & Palao Tract. 16. disp. 4. p. 9. n. 4.*

Dubium secundò est, an à Papa ad clausuram adstringi valeant Moniales, ingressæ Religionem vel Monasterium, in quo illa antè præcepta & usu recepta nunquam fuit. Ratio dubitandi minimè levis est; quia hujusmodi Moniales assumpti statim Religiosi professione solum obligantur ad observantiam votorum Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, in communi vita exhibendæ superiori, Regulæ conformia præcipienti; ad quorum observantiam cum necessaria non sit clausura, illaque ante hanc introductam observata sint, non apparet, quâ ratione nova eaque gravissima clausuræ, per professionem non promissæ, obligatio illis invidis valeat imponi.

Sed factum tenet, & clausuram 72. Moniali-

Monialibus, in quarum Monasteriis antè neque proposita lege, neque moribus introducta fuit, Apostolicæ auctoritate imponi posse, in controversiam vocari jam non potest; cùm ad illam in talibus Monasteriis observandam de facto adstrictæ sint, *c. 1. cit. ibi, Sancimus universas & singulas Moniales etiam præsentis sub perpetua debere de cetero manere clausura:* & hanc Monialibus imponi posse, solida non minùs quàm perspicua ratio evincat; quia Papa tanquam supremus ac generalis Prælati omnium Religionum, vi jurisdictionis ad Ecclesiæ regimen à Christo Domino immediatè acceptæ, fidelibus statum aliquem assumptibus & ad perpetuam ejus observantiam obligatis legali sanctione præcipere ea, quæ ipsis conveniunt, & ad ejusmodi statûs integritatem, puritatemque conservandam necessaria aut valde conducentia: & prohibere ea potest, quæ hujusmodi statui noxia, in eoque constitutis personis periculosa, vel aliis fidelibus scandalosa esse judicârit; cùm ad talis præcepti vel prohibitionis observantiam tacitè se obligare præsumantur, qui ejusmodi statum perpetuum voluntariè assumunt. Clausura autem ad Monialium statûs integritatem, puritatemque & existimationem publicam conservandam valde conducere & moraliter necessaria esse iudicata est à Bonifacio VIII. è Monasteriis suis egrediendi facultatem statui Monialium, propter naturalem conditionem & fragilitatem sexûs, periculosam noxiàmque vocante, *c. 1. cit. pr.* & à Pio V. & Gregorio XIII. *c. cit. relata* & à S. Synodo Tridentina confirmatam *Constitutionem* Bonifacianam innovantibus. Ex his

Planè corrui ratio dubitandi; quia, ut dictum, Moniales ipsâ Religiosi statûs professione & Obedientiæ votò taci-

tè se obligâsse intelliguntur ad observantiam eorum, quæ ad assumpti statûs integritatem, puritatemque tuendam, publicam existimationem & fidelium ædificationem esse necessaria, vel multum conducere, superior judicârit, Navarr. *Comment. 4. de Regular. n. 40.* Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 44. art. 2.* & Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 8. Lib. 2. cap. 8. n. 7.*

Dubium est tertio, de loco & limitibus clausuræ. Et locus quidem non est quicumque, in quo Moniales, ut nunc causâ belli permultæ, extra Monasteria sua in civitatibus ad tempus habitant, aut morantur: sed proprium illarum Monasterium seu domus conventualis, in qua communiter & stabiliter vivunt, habentque Ecclesiam, in qua Eucharistia adservatur, Quaranta *V. Monasteria, s. Addit.* & Pignatellus *Tom. 6. Consult. 86. n. 275.*

73. Limites autem, ultra quos progrediendò clausura violatur, sunt porta seu janua, per quam ad Monasterii spatium interius est ingressus, cum pariete seu muris, conclavia, chorum, officinas, atria, ambulacra, hortum & quæcunque loca, Monialium habitationi, devotioni, laboribus, relaxationi, deambulationi &c. deputata, cingentibus, & cum Monasterii & Ecclesiæ janua exteriori excludentibus accessum ad portam & locum, è quo homines extranei janitrici vel aliis Monialibus loqui consueverunt: uti & Ecclesiæ sacrificiam & spatium omne, in quo sacerdos induere sacras vestes, seculares audire Missam, aliisque divinis interesse possunt. Unde Moniales, extra Monasterii portam interiorem murumve, ad quemvis Ecclesiæ vel Monasterii locum, ad quem ingressus secularibus permitti solet, egressæ, clausuræ violatæ reatum & huic impostas penas incurrunt, Sanchez & Pignatell. *l. cit.*

R r 2 dissen-

dissentientes de ascensu supra Monasterii tectum, sive partem, istius domos & loca extranea respicientem; cum, eò clausuræ violatæ reatum & pœnas contrahi, negent *cit.* Sanchez n. 7. & Diana p. 5. *tract.* 13. *resol.* 88. affirmet autem & S. Congreg. Cardd. Interpp. declarationib<sup>9</sup> firmet Pignatell. *cit.* n. 275.

75. Dubium quartò est de personis ad clausuram obligatis. Qua in re convenit inter DD. Primò, clausuræ obligatione per se, hoc est, speciali privilegio & consuetudine seclusis, teneri universas & singulas Moniales, trium votorum Religionis substantialium emissionem quemcunque, ab Ecclesia approbatum Ordinem professas, & in congregatione aliqua Regulari sub Regula & Abbatissa aliæve simili Præposita viventes; id enim omnino liquet ex decreti Synodalis & Apostolicarum Constitutionum *cit.*, sanctimonialibus planè omnes, quòcunque nomine veniant, quamcunque Regulam sequantur, & ad quæcunque ministeria, in aut extra chorum obeunda, deputatæ sint, complectentium generalitate, *cit.* Rodriguez q. 44. art. 2. Suarez cap. 8. à

76. n. 11. & Sanchez cap. 15. n. 11. Convenit inter eos secundò, clausuræ lege non affici novitias & mulieres alias, Continentiæ atque etiam Obedientiæ, imò & Paupertatis simplicibus votis adstrictas, communiter viventes in statu aliquo, qui tanquam Religiosus Ordo à sede Apostolica non est approbatus. Ratio est; quia non sunt veræ sanctimonialibus, quæ solæ relatis Constitutionibus ac decretò ad clausuram adstringuntur. Neque etiam mulieres, Religionem approbatam professas, quæ ex speciali licentia in domo propria remanent, juxta *c. fin. Qui cler. & vovent.* quia allegata Jura loquuntur de Monialibus, viventibus in Congregatione, Navarr. *Comment.* 4. *de Regular.*

n. 47. & 53. Sanchez *cit.* cap. 15. à n. 17. & *cit.* Tamburin. *disp.* 19. q. 5. n. 3.

77. Dissensio tamen inter eos est de Monialium Conversas ac Tertiariis. Cui occasione præbuerunt in speciem contrariæ Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. quorum ille *Constitut.* quæ incipit *Circæ Pastoralis* *cit.* Monialibus indulsit; ut, si Monasterium fidelium elemosynis, per conversas colligendis, indigeat, has extra Monasterium in domo aliqua contigua habere possint. De cætero autem voluit; ut nullas conversas professas amplius recipiant, quæ ad colligendas elemosynas extra Monasterium degant. Iste verò sive Gregorius *Constitut.* quæ incipit *Deo sacris* *cit.* cum B. Pii mentem declarandò statuisset, Conversas ad clausuram reducendas, nullasque in futurum in Monasteriis recipiendas, nisi quæ professionem cum tempore emissionis essent, subjecit, Pii V. nullas alias Conversas professas recipi amplius posse statuente, ordinationem sic intelligendam, ut excipiantur Conversæ illæ, quæ extra Monasterium in domibus contiguis degerent. Unde *cit.* Sanchez n. 21. à Gregorio permissam existimat receptionem Monialium conversarum professorum, quæ extra Monasterium degerent, si ad elemosynæ collectionem necessariæ sint. Sed 78. melius *cit.* Rodriguez q. 44. art. 4. *conclus.* 2. & Palao p. 9. n. 3. ne Pium prædecessorem suum Gregorium, non tam declarasse, quam correxisse, eique contrarium statuisse videatur, eum sic exaudiunt; ut ex ejus mente nullæ aliæ conversæ professæ recipi valeant, præter illas Conversas (subaudi, non professas, sed Castitatis duntaxat & Obedientiæ simplicia vota emittentes) quæ de facto extra Monasterium in domibus contiguis degerent. Ut adeò post *cit.* utriusque summi Pontificis *Constitutiones* Moniales Conversæ

Conversæ professæ omnes adstringantur ad clausuram, & ab ista solum exemptantur, quæ editis illis votis solummodo simplicibus ad elemosynarum collectionem deputantur.

79. Dubium quintò est, an Episcopi clausuram inducere valeant in Monasteria, à sua jurisdictione exempta & immediatè subjecta alicui Prælato Regulari exempto: quod oritur ex *cap. 5. cit.* quò & *Constitutione* Piana Episcopis præcipitur, *ut in omnibus monasteriis monialium sibi subjectis Ordinariâ, in aliis verbò sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent;* his enim verbis Episcopi, in Monasteria à sua jurisdictione exempta indiscriminatim omnia, clausuram reducendi & conservandi facultatem à S. Synodo & Pio V. collatam, firmatamque cum Zerola *Prax. Episc. p. 2. V. Monialis q. 4. & 8.* & aliis tradit Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 102. à n. 7.* Verùm, quia S. Synodus & ipse B. Pius V. *c. 1. cit.* relatæ Bonifacii VIII. Constitutioni nullatenus derogare: sed eam innovare, confirmare & in universalem usum deducere intenderunt: & hic Papa Episcopis clausuræ procuracionem in sola Monasteria sedi Apostolicæ immediatè subjecta, non in exempta, aliis prælatis exemptis immediatè subjecta, commisit: imò in ista illius procuracionem ipsis istorum Prælati commisit *c. cit. §. fin. spectatò Jure,* in Monasteria Monialium exempta & immediatè, non ipsi sedi Apostolicæ, sed aliis prælatis subjecta clausuram inducendi reducendique potestatem Episcopis competere, cum Navarro *cit. Comment. 4. n. 60.* negant Sanchez *cit. cap. 15. n. 21.* & Miranda *de Monialib. q. 2. art. 14. n. 3.* excipiens casum, quò hujusmodi Prælati in conservanda & procuranda clausura

sunt negligentes, Bonacina *de Clausur. q. 1. p. 6.* & Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 24. q. 9. p. 5.* suum hac de re sensum submittens judicio & praxi S. Congreg. Cardd. Trident. Interpp. quorū declarationem ei adversantem *cit. Barbosa n. 8.* refert.

Dubium sextò est, ex qua causa Monialibus ad clausuram obligatis è Monasteriis suis egressus licitus aliquando sit. Bonifacius VIII. *c. 1. cit. pr.* Unicam expressit verbis, *Nisi fortè tantò & tali morbo evidenter earum aliqua laboraret, quòd non possit cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari.* Benignius PP. Tridentini *cap. 5. cit.* legitimam causam Episcopi arbitrio relinquendò, alias quòque egressum permittendi justas causas subesse, innuerunt. Ne autem Episcopale arbitrium necessitatis limites facilè egredere, Pius V. ejusmodi causas constrinxit ternariò, & è Monasteriis suis egressum monialibus permitti posse, statuit ob magnum incendium, infirmitatem lepræ & Epidemiam, *Constitut.* quæ incipit *Decorì cit.*

An ex causa, à Beatissimo hoc Pontifice expressis, simili egressus permitti Monialibus possit, dubitandi ratio est; quòd extra relatas causas illius licentiam concedendi facultas Prælati expressè de negetur. At, licet propter hanc rationem Piana *Constitutio* ad casus formaliter diversos extensionem non patiat, hanc tamen admittit ad causas diversas solummodo materialiter, formaliter autem eadem, sive Monialium communitati non minus, quàm tres illæ sunt, periculosas ac nocivas: ut sunt bellum, sive Monialium vitæ aut honori periculosa invasio hostilis, inundatio fluminis, ex eaque vel ædificii ruina imminens periculum mortis, *cit. Navarrus n. 48. Rodriquez q. 49. art. 3. Suarez cap. 9. n. 3. & Sanchez n. 37.*

apud quem alii, secuti benignitatem Navarrae n. 49. addunt casum, quò Monialis ex morbo moritura, si in Monasterio perseveret: eoque, si ad tempus egrediatur, liberanda judicatur: & eum, quò illi inferenda mors violenta solà è Monasterio fugà posset evitari; quòd clausura sit Juris humani, cum vitæ periculo non obligantis, arg. *Quantò 4. de Consuet.*

Recentitis à DD. adnumerari passim solent casus, quibus Monialis ad fundandum novum sui Ordinis Monasterium egrederetur; vel assumeretur in Abbatissam, magistram novitiarum, jantricem alterius ejusdem Ordinis & habitûs Monasterii; vel ad strictioris observantiæ Religionem transfret; vel, dum totum Monasterium in alium commodiorem locum transfertur, *citr. Sanchez à n. 45. Barbosa à n. 17. & Tamburin. disp. 20. q. 2. à n. 4.*

Porro, hujusmodi etiã causâ subsistente, extra Monasterii clausuram progredi Monialis nequit sine licentia superioris: quæ licet, vitæ vel honoris præfente periculo urgente & ad superiorem recursum non permittente, præsumi queat, ad hunc tamen, extra istiusmodi casum, pro causæ approbatione & licentiæ concessione semper recurrendum, res omnino explorata.

82. Dubium autem septimò est de superiore, ad quem pro illa sit recurrendum. Non quidem, si Monasterium Episcopo loci Ordinario, aut etiã sedi Apostolicæ immediatè subjectum sit; cum hòc casu utròque ab Episcopo non solum causam tanquam legitimam approbari, sed etiã egrediendi licentiam concedi, necesse sit ex decreto Synodali *cap. 5. & Constitut. B. Pii*, quæ incipit *Decoricitt.* Sed, si Monasterium ab Episcopi jurisdictione exemptum & immediatè subditum sit exempto Prælatò Regulari; hujusmo-

di enim Monasterii moniali approbationem & licentiam Episcopalem non necessariam, existimat Rodriguez *citr. q. 49. art. 6.* eà ductus ratione; quòd approbatio, & licentia obtenta ab ordinis Generali vel Provinciali, cui Monasteria subsunt, perinde sit ut concessa ab Episcopo; cum in ejusmodi Monasteriis superiores illi Regulares jurisdictionem obtineant 83. quasi Episcopalem. Sed contra torrentem aliorum DD. & apertum tenorem *citr. Constitut. Pii V.* qui de egrediendi licentia loquens *Que tamen*, inquit, *infirmas præter alios Ordinum superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiã per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiã si prædicta Monasteria ab ipsorum Episcoporum & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expressè in scriptis approbata sit.* Quare, spectatò Jure, Monasteriorum planè omnium, etiã exemptorum & Prælati exemptis immediatè subjectorum, Monialibus extra clausuram licitè progressuris præter hujusmodi Prælatorum licentiam etiã Episcopi loci Ordinarii istiusque in spiritualibus Vicarii generalis approbationem necessariam, cum *citr. Tamburin. q. 5. n. 7. & Palao p. 5. n. 9.* vult Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 37.* qui tamen, *Pianam Constitutionem* quoad hunc articulum usu non ubique receptam, mo-

84. Poena in clausuram violantes Jure constituta duplex est, scilicet excommunicatio major Papæ reservata, & privatio dignitatum, administrationum & officiorum jam obtentorum (adjunctam habentium aliquam superioritatem, ut Provincialatus, Abbatia, Prioratus: non munera inferiora, ut concionatorum, professorum, confessoriorum & similia sunt) & inabilitas ad eas aliàsve similes dignitates &c. obtinendas, Quarum poenarum priorem

priorem ipsò factò sine alia declaratione incurrunt Moniales, in casu vel modo, Jure non permisso, extra clausuram progredientes, easque comitantes ac recipientes; uti & superiores, egrediendi licentiam in casu, Jure non permisso, concedentes, *Constitut. Decori cit.* Eandem censuram & ipsò factò contrahunt Magistratus seculares, Episcopo eorum brachium sive auxilium ad clausuram instaurationem negantes, *Trident. cap. 5. cit.* Posteriorem, sive privationem & inhabilitatem illam, sententiam judicis declaratoriam exposcentem, incurrunt solæ Moniales & superiores, extra clausuram indebitè egredientes, aut egrediendi licentiam ita concedentes, *Constitut. Decori cit. apud cit. Sanchez à n. 63. Palao à n. 20. & Pirrhing n. 39.* Quomodo hæc poenæ relaxentur, colligitur ex dictis à n. 64.

## ARTICULUS VII.

## De Ingressu in Monialium Monasteria Extraneis interdicto.

## SUMMARIUM.

85. Ingressus in Monialium Monasteria à SS. Pontificibus,
86. Et S. Synodo Tridentina extraneis prohibitus est;
87. Ut jam in illis locus monialibus & extraneis communis,
88. Et ad portam & in muro non detur;
89. Et intra illorum clausuram ingredi ulli extraneo non liceat.
90. Solis Regiæ dignitatis personis & infantibus;
91. Non etiam amentibus,
92. Aut extraneis ejusdem Ordinis monialibus exceptis.

93. Ex variis causis intra illam extranei admitti possunt;
94. At non nisi de licentia superioris.
95. Scilicet Episcopi, si Monasterium ipsi vel Papa;
96. Vel Prælati Regularis exempti, si ipsi ipsi immediatè sit subiectum.
97. Eandem licentiam concedere potest Vicarius generalis,
98. Non tamen semper vi generalis mandati Episcopi;
99. Et si vi ejusmodi mandati, vacante sede, illam dare possit.
100. Ea tamen licentia esse debet specialis.
101. Pœna clausuræ, per illicitum in Monasteria ingressum violata.

U T per solennem professionem Deo sacratæ mulieres eundem Virginitatis thesaurum à corruptionis periculis penitus remotæ securius conservarent, divinisque servitiis vacarent liberius, Ecclesiasticâ lege, sicut è claustris suis Egressus ipsis, sic ad ipsas Ingressus extraneis quibusvis à Bonifacio VIII. interdictus est. *1. pr. de Statu Monach. in 6. ibi, Nulli aliquatenus in honeste persona, nec etiam honeste (nisi rationabili & manifesta causa exspectat, de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus pateat ad eadem: ut sic à publicis & mundanis conspectibus separata omnino servare Deo valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.*

Cujus Apostolicæ Constitutionis observantiam promovere, quibus posset, modis cupientes S. Synodi Tridentinæ Patres *Sess. 25. cap. 5. de Regular. decreverunt, ut ingredi intra septa monialium nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis*

conditionis, sexus vel aetatis fuerint, sine Episcopi vel superioris licentia, in scriptis obventa, sub excommunicationis pena, ipso facto incurrenda.

Eandem ingressus prohibitionem innovavit Pius V. *Constitut.* quae incipit *Circa pastoralis*, edita 4. Calend. Junij 1566, & summi Pontifices alii apud Barbofam de *Offic. Episc.* alleg. 102. à n. 33. quorum tamen *Constitutiones* præcipue spectant in Monasteria monialium ingredi præsumentes, prætextu facultatum, à sede Apostolica istiusque legatis aut aliis concessarum & revocatarum, ut Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 10. pr.* Tamburinus de *Jure Abbatiss.* disp. 22. q. 1. n. 4. & cit. Barbofa n. 37. adnotarunt. De hac lege Ecclesiastica, à Monasteriis monialium extraneos excludente

Convenit inter melioris notæ DD. primò, hujusmodi Monasteriorum Clausuram violari per ingressum in locum, in quem ingressus Monialibus est permittus: & contra, clausuram non violari ingressu in locum, in quem ingredi Moniales sine clausuræ violatione non possunt, Rodriquez *Tom. 1. Regular.* q. 46. art. 1. in fine, & Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 16. n. 11.* Unde

37. Dubium oritur, an ergo non detur Monasterii locus, in quem moniales & seculares ingredi possint. Cui ansam præbet usus, receptacula seu cubicula monialibus & extraneis communia permittens: & quòd, si in Monasterii limine simul stent, vel supra ejus murum evadentes monialis & extranea persona colloquantur, clausura à neutra violetur. Sed usus ille, sicubi introductus est, cit. *Constitutionibus* Apostolicis & Synodali *Decreto* aperte adversatur; cum PP. Tridentini & summi Pontifices clausuræ introductione præcipue excludere intenderint monialium cum extraneis in eodem loco

congressum: ut planè liquet ex c. i. cit. verbis, *Nulli aliquatenus pateat ingressus ad easdem moniales*: quæ Bonifacii VIII. prohibitio innovata, ut dictum, & confirmata est ab ejus successoribus & iplo Concilio Tridentino, cujus etiam decretum est, *Ingressi intra septa monasterij monialium nemini liceat*. Ubi *septorum* nomine veniunt janua & murus, à janua unius latere ad alterum ductus, & circumdans spatium omne, intra quod sunt cubicula, officina & similia loca, monialium habitationi, devotioni, laboribus, relaxationi &c. deputata, ut rectè observat Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 8.* qui propterea consuetudinem, communem ejusmodi locum permitentem, contrariam Juri: & si contra hoc legitimè præscripta non sit, abolendam merito censet.

Neque in contrarium aut ad rem facit instantia de Monasterii limine; esto enim, clausura non violetur, si in parte liminis interiori consistat monialis, & extranea persona in parte ejus exteriori sive extra januam extensa, procul dubiò tamen violetur, si intra januam persona extranea, & extra eam consistat monialis, Sanchez cit. n. 11. in fine.

Magis in speciem, reipsa etiam non urget instantia existentium in muro; cum enim in hunc evadentis monialis & extraneæ personæ congressus Ecclesiæ, clausuram inducentis, menti & intentioni principali non minùs, quàm ingressus aut egressus adversetur, clausuræ violatæ reatum & Jure constitutas, aliàsve graves pœnas, judicis arbitriò infligendas, utraq; persona incurret: licet hic casus propriis verbis expressus non sit; quia non tam verborum fonus quàm sententia, sive mens & intentio legislatoris, est attendenda, l. Scire 17. ff. de l. Non dubium 5. pr. C. de LL.

Conve-

89. Convenit inter DD. secundò, & ex c. 1. cit. pr. uti & cap. 5. V. *Ingradi cit.* constat, in monialium Monasteria ingressum interdictum non solum viris, sed foeminis quoque: neque laicis duntaxat, sed etiam Clericis & Religiosis utriusque sexus, cujuscunque sint ætatis, status & conditionis, Navarrus *Comment. 4. de Regular. n. 39.* Sanchez *cit. cap. 16. n. 2.* & Barbosa *cit. alleg. 102. n. 31.* Quâ tamen prohibitionem non affici intelliguntur Imperator & Imperatrix, Rex & Regina, eorumque filii ac nepotes; quòd hujusmodi personæ, ob dignitatis suæ prærogativam specialem, generalibus verbis non soleant comprehendi: easque propositâ prohibitionem non affici, agnovisse videtur Gregorius XIII. dum eâ cujusvis conditionis personas afficiat, licet sint Comitissæ, Marchionissæ aut Ducissæ, *Constit. quæ incipit Ubi gratia*, edita Idibus Junii 1575. hòc loquendi modò non obscure indicans, expressis superiores Imperialis ac Regiæ dignitatis personas illâ non comprehendit, Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 48. art. 1.* Sanchez *cap. cit. n. 3. § cap. 17. n. 5.* & Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 24. q. 13. n. 2.*

90. Dubium est, an monialium Monasteria sine clausuræ violatione ingredi etiam non valeant infantes, amentes & moniales ejusdem professionis & habitus. Et infantibus quidem rationis usu carentibus ingressum eorumque admissionem monialibus non interdictum, communi DD. calculò receptum, & ratio clara est, quia infantes ulla lege non afficiuntur: & quòd doli capaces non sint, peccare non intelliguntur, *l. Si quis 33. §. 1. ff. de Inoffic. testam.* Moniales autem eas tantum personas nequeant admittere, quæ prohibentur ingredi, vel ipsas ad peccandum movere possunt. Unde c. 1. pr. & cap. 5. *cit.*, dispositione infantes

affici, cum Navarro *l. cit. n. 59.* rectè negant *cit.* Suarez *cap. 10. n. 2.* Sanchez *cap. 16. n. 5.* & Barbosa *n. 32.*

Eadem, quæ infantis, ratio esse aliis quibus videtur amentium; quòd lege etiam ipsi non afficiantur; cum non intelligant, quid agant, §. *Furiosus 8. Instit. de Inutil. stipul.* & infantibus comparentur, *l. 1. ff. de Honor. poss. furios. infant. &c.* Sed licet hoc ita; quoad admissionem tamen in Monasteria monialium non eadem amentium, quæ infantium, ratio est; quòd illi, non etiam isti verbis aut actibus turpibus ad peccandum moniales irritare valeant; atque idcirco, licet ingressu Monasterii monialium amens non peccet, ejus tamen admissionem peccens moniales, *cit.* Navarrus *n. 59.* Suarez *n. 8.* & Barbosa *n. 21. ad finem.*

Moniali, si, ex justa causa è suo egressa, ad ejusdem Ordinis & habitus Monasterium aliud veniat, istius ingressum sine clausuræ violatione permillum, existimat Sanchez *cit. cap. 16. n. 10.* quòd, cum sit ejusdem professionis & habitus, extranea dici non possit. Sed, esto extranea non sit respectu totius Ordinis Religiosi, talis tamen est respectu Monasterii, in quo Ordinem illum professæ non est; ac proinde ipsam quoque afficiet dispositio Juris, utriusque sexus personis, quæ de Monasterio non sunt, in id ingressum sine superioris licentia interdicens. Quare ab ipsa quoque Monasterii non sui ingressu clausuram violari, verisimilius est, saltem extra casum, quò caret hospitio, in quo honestè pernoctet; hòc enim casu, requisitâ tamen, si commodè haberi queat, licentiâ superioris, eam intra Monasteriâ septa recipi, honestatis & Religiosæ Charitatis ratio postulare, *cit.* Sanchez *n. 10.* Palao *Tratt. 16. disp. 4. p. 10. §. 1. n. 4.* & Tamburin. *disp. 24. q. 15. n. 5.*

Convenit inter eosdem tertio & ex 93.

Si

pr. cit.

*pr. cit.* constat, monialium Monasterium ingrediendi licentiam dari posse ex *Causa rationabili & manifesta*, sive, ut hanc Tridentinum vocat, *Necessaria*, *cap. 5. cit.* subaudi *Moraliter*: qualis licet quælibet causa gravis censetur, minor tamen exigi videtur ad ingressū diurnū quàm nocturnum, & illum foeminis potiùs concedendū quàm viris; quòd diurnus & foeminis concessus minùs indecorus ac periculosus sit, quàm est nocturnus & concessus viris, *cit.* Rodriquez *q. 46. art. 4.* Suarez *cap. 10. n. 17.* & Sanchez *cap. 16. n. 40.*

In specie autem ejusmodi causæ sunt imprimis Necessitas ipsius Monasterii seu conventus ad ejus visitationem; ad fabricæ constructionem, mutationem, reparationem, rerumque ad has necessariorum inventionem; ad horti culturam & arborum in eo plantationem; ad instrumentorum seu documentorum pro rerum ac jurium Monasterii defensione necessariorum ex Archivo extractionem; ad collectionem votorum in Abbatiis vel alterius Monasterii Præpositæ electione casu, quò illis, secundum decretum Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 7. de Regular.* per cancellos receptis, ob monialium in diversa abeuntium inquietudinem, subornationis periculum &c. concors & canonica electio obtineri non potest, juxta dicta *Lib. 1. tit. 6. à n. 235.* Deinde Necessitas singularum seu particularium monialium, ad earum infirmitate laborantium curationem; ad excipiendas talium confessiones, easque sanctissimò Eucharistiæ Sacramento reficiendas, muniendas sacro Viaticò, extremum inungendas, ad mortem pie obeundam animandas, vitæque funcliarum cadavera sepelienda &c. Et demum aliquando Necessitas ingredientium v.g. puellarum, ut intra monasterii septa educantur ac instituantur, ad Religionem afficiantur, & sacri habitus suscipiendi de-

siderium ac propositum concipiant &c. quas iisque similes causas latè & accuratè pertractant *cit.* Rodriquez *q. 26. art. 4.* Suarez *cap. 16. à n. 16.* Sanchez *cap. 16. à n. 42.* & Barbosa *alleg. 102. à n. 48.*

Convenit quartò, & *c. 1. cit. pr. ha.* 94. betur, hujusmodi etiam causà aliquà poscente, intra Monasterii septa ingressum extraneis non permillum sine licentia superioris, saltem quando istius aditionem moræ periculum non excludit, adeò; ut ipsis quoque Episcopis ac Prælatiis, quorum jurisdictioni Monasteria subiecta sunt, ea ingredi volentibus superioris sui licentiam requirendà, nonnemo existimet apud *cit.* Sanchez *n. 24.* Sed verius istis 95. non solum visitationis, sed alia etiam ex causa, quæ urgente ingrediendi licentiam concedere aliis possunt, ingressum, nullà alterius superioris licentiâ requisitâ, permillum, cum Navarro *Consil. 1. h. ac Rubr.* defendunt *cit.* Sanchez *n. 25.* Barbosa *n. 6.* & Tamburin. *disp. 24. q. 8. n. 2.* quòd, justâ causâ subsistente, ingrediendi facultas ipsis competat ex officio & *Consil.* Gregorii XIII. quæ incipit, *Dubius* editâ 23. Decemb. 1581. & generatim in lege Ecclesiastica omni casu, quò cum aliis, etiam secum ipsis valeant dispensare, ut cum D. Thoma 2. 2. q. 185. art. 8. Sylvestro *V. Religio 6. q. 10.* & aliis docet Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 3. n. 1.*

Aliis autem, justâ causâ poscente, in 96. Monasteria, suæ aut sedis Apostolicæ jurisdictioni immediatè subiecta, ingrediendi licentiam dare ad Episcopum: & si Monasteria immediatè subiecta sint Prælati Regularibus exemptis, ad istos spectat, ut non obscure indicat Trident. *cap. 5. cit.* Verbis, *Sine Episcopi vel superioris licentia*, & ibi, *Dare autem tantum Episcopus vel superior debet, in casibus necessariis, neque alius ullò modo possit*: idemque omnino exploratum est ex Congreg. Cardd.

Cardd. S. Concilii Interpp. declaratione, allegata à Tamburino *disp. 23. q. 1. n. 6.* & Gregorii XIII. *Constit. Dubiis cit.*

Nomine autem Episcopi hęc locò etiam veniunt Abbates & alii Prælati, in certo territorio istiusque populum obtinentes jurisdictionem quasi Episcopalem: & verisimilius etiam Capitulum, vacante sede Episcopali, secundùm aliquos etiam respectu Monasteriorum, immediatè sedi Apostolicæ subsectorum; quantumvis enim istorum respectu licentiam illam dandi facultas Episcopo competat jure delegato; & quæ hęc jure illi competunt, sede vacante, ad Capitulum generaliter non transeant juxta dicta *Lib. 3. tit. 9. n. 47.* ab hac tamen generalitate excipienda illis videtur proposita licentiæ concedendæ facultas, ex speciali ratione; ne, sede vacante, ejusmodi Monasteria destituantur Prælatò, à quo ipsa ingrediendi licentia in casibus necessariis concedatur, *cit. Sanchez cap. 15. n. 30.*

Superioris autem Regularis nomine intelliguntur quicumque Regularium Prælati & superiores Conventuales, istorumque Generales ac Provinciales: nisi nominatim Monasterium specialiter superiori Conventuali auctoritate Apostolica subsectorum esset; hęc enim casu Generalis & Provincialis, licet in superiorem Conventualem, an officio suo & in ejusmodi Monasteria ingrediendi licentiam concedendi facultate rectè utatur, inquirere: ingressus tamen licentiam dare, ipsi non possent, *cit. Sanchez à n. 15. & Tamburino, disp. 23. f. 1. à n. 7.*

97. Dubium est, an ingrediendi licentiam dare valeat Episcopi Vicarius generalis. Non quidem in Monasteria immediatè subsectorum Prælati Regularibus; cum enim in talia ingrediendi licentiam dare nequeat Episcopus, hanc dare Episcopi nomine etiam non poterit, qui ejus vices

gerit, Sed in Monasteria immediatè subsectorum Episcopo vel Papæ: quæ etiam ingrediendi licentiam concedendi facultatem Vicario generali ex generali commissione officii competere, negat Palao *cit. disp. 4. p. 9. n. 10.*

Sed magis arridet, & Germaniæ nostræ praxi accommodata est distinctio, tradita à Sanchez *l. cit.* speciale mandatum non exposcente, ad licentiæ illius concessionem, respectu Monasteriorum Episcopo, sed solummodo respectu immediatè Papæ subsectorum. Ratio prioris est; quòd ejus licentiæ concessio sit actus jurisdictionis Ordinariæ Episcopalis, quam ex generali mandato vicarius exercet respectu omnium causarum non arduarum, & jure vel consuetudine non exceptarum: monialium autem Monasteria ingrediendi licentiæ concessio, cum istam justam causam exposcit, jure vel consuetudine non sit excepta, neque etiam ardua videatur. Ratio posterioris est; quia Monasteria, immediatè sedi Apostolicæ subsectorum, ingrediendi licentiam dandi facultas Episcopo competit ex Apostolica delegatione: ex qua ipsi competentia expedire Vicarius Episcopi sine speciali mandato non potest, ut dictum *Lib. 1. tit. 28. n. 43.*

Dixi autem, *Episcopi: non Capituli; 99.* cū enim, vacante sede Episcopali, Capituli vicarius ex ipsa Vicariatus commissione, ab illo sibi facta, jurisdictionem Episcopalem penes Capitulum residentem totam exerceat, ex decreto Trident. *Sess. 24. cap. 16. de Reformat.* monialium Monasteria, etiam immediatè subsectorum Papæ, ingrediendi licentiam, justam causam exigente, concedere Vicarius potest in sententia eorum, qui hujusmodi licentiam dandi facultatem, sede vacante, hęc etiam casu penes Capitulum residere, volunt.

Convenit inter DD. quintò, monialium Mo-

lium Monasteria ingrediendi licentiam de Jure esse debere specialem, hoc est, specialiter ipsum ingressum exprimentem, *c. 2. cit. pr.* & obtentam in scriptis, ex decreto Trident. *cap. 5. cit.* neque sufficere tacitam, generalem, & oretenus concessam, *cit. Sanchez cap. 16. à n. 28.* Palao *p. 10. §. 2. n. 6.* & Tamburin. *q. 5. à n. 1.* saltem extra casum urgentis necessitatis, & seclusâ consuetudine: quâ Jurium, clausurâ concenturum, rigori, tam quoad ingressum, foeminarum præsertim ac puellarum, quàm quoad licentiâ modum in Germaniâ nostrâ Monasteriis in pluribus derogatum, observant Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. 12. n. 13.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 44.*

**101.** Poenæ in violatores clausuræ, sive legis Ecclesiasticæ, ingressum in monialium Monasteria vetantis, transgressores Jure proditæ sunt Imprimis excommunicatio major non reservata, à Concilio Tridentino *cap. 5. cit.* imposta personis, illa ingredientibus sine licentiâ Episcopi vel superioris: quam censuram cum reservatione ex *cit. Constitut. Gregorii XIII.* quæ incipit *Ubi gratia*, olim incurrebant,

qui Monasteria illa ingrediebantur prætextu facultatis à sede Apostolica concessæ: nec non Abbates, Abbatissæ, ipsæque moniales, & quicumque alii, ingressum ejusmodi facultatum prætextu foventes aut permittentes. Deinde privatio dignitatum, beneficiorum & officiorum, & ad hæc aliæque in posterum obtinenda inhabilitas, *Constitut. cit.* ab eodem Papa statuta in eosdem Abbates & superiores conventus, ipsasque moniales & alios ingressum foventes aut permittentes: uti & in omnes, qui prætextu licentiæ ab Episcopo vel superiore obtentæ dicta Monasteria ingrediuntur pro libitu & extra casum necessitatis, ac proinde deficiente & cessante causâ, ob quam ingrediendi licentiâ concessa fuit. Demum ab eodem Papa *Constit.* quæ incipit *Dubius cit.* variæ poenæ decretæ sunt in Episcopos aliosque prælatos Seculares & Regulares, monialium Monasteria ingrediendi facultate, à Jure sibi tributâ, extra casum necessitatis utentes: quas poenas latè discussas dabit *cit. Sanchez cap. 16. à n. 7.* & quomodo ea relaxari valeant, colligatur ex didictis *à n. 64.*



## TITVLVS XXXII.

### De novi Operis Nuntiatione.

#### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. <i>Istâ prohibetur erectio vel mutatio edificij,</i></li> <li>2. <i>Solò conjuncti vel conjungenâ,</i></li> <li>3. <i>Jamque inchoati.</i></li> <li>4. <i>Fieri ea tribus modis potest.</i></li> </ol> | <ol style="list-style-type: none"> <li>5. <i>Facta impedit capti operis prosecutionem;</i></li> <li>6. <i>Ut post eam factum destruendum sit:</i></li> <li>7. <i>Nisi aedificantis jus notorium, vel nuntiatione sit remissa,</i></li> <li>8. <i>Vel nuntians jurare de calumnia, recusarit, aut re integrâ moriatur,</i></li> </ol> <p style="text-align: right;"><i>9. Vel jus</i></p> |
|--|--|